

CHRISTOPHORI SARTI

IN ACADEMIA PISANA

PHILOSOPHIAE RATIONALIS

ARTIS CRITICAE

AC

METAPHYSICAE

P. P.

DIALECTICARUM INSTITUTIONUM

LIBRI DUO.





PISIS MDCCLXXVII.
APUD FRATRES PIZZORNOS

Publica Facultate.

Homo autem rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque praesentibus adjungit atque annectit futuras.

Cic. Lib. I. De Offic.

ANTONIO . MORMORAJO
VIRO . SPECTATISSIMO
INGENIO . PRUDENTIA
INTEGRITATE
PATROCINIO . AEQUITATIS
AC
LITTERARUM
LAUDIBUS
OPTIME . GERENDAE . REIPUBLICAE
ORNATISSIMO
IN . REBUS
AD . STEPHANIANUM . ORDINEM
AD . PISANUM
ET . FLORENTINUM . LYCEUM
PERTINENTIBUS
REGIAE . CELSITUDINIS
PETRI . LEOPOLDI . I
AUDITORI
SE . ET . SUAS
DIALECTICAS . INSTITUTIONES
IN . PERENNE
GRATI . ANIMI . OBSEQUIUM
D. D. D.
CHRISTOPHORUS . SARTIUS

INDEX

INSTITUTIONUM DIALECTICARUM.

PARS II.

PARS III.

Ca-

LIBER II.

De consequentiis in omni ratiocinio rite deducendis.

PARS I.

PARS II.

Ca-

PARS III.

APPENDIX.

IN

IN DIALECTICAS

INSTITUTIONES

PROLEGOMENA.



QUAE Philosophiae pars optimi ratiocinii leges exponit, quaeque sive ad inveniendum, sive ad demonstrandum opportuna tradit instituta, ea a nonnullis Dialectica, ab aliis Logica, ab aliis demum Rationalis Disciplina est appellata. Fuit quidem hominum menti a natura inditum, quo recte ad cogitandum uterentur, lumen. Eo non apud Barbaros modo, sed etiam apud Graecos diu multumque philosophatum. Sed menti idem quod oculis contigit. Quemadmodum enim ingenita vis oculorum sive organi imbecillitate, sive abusu intuentium nimium subjecta deceptionibus fuit, ita lumen illud, quod nobis ad disserendum natura est impertita, in plurimis visum est quamsaepissime caecutire. Hinc Dialecticae ad bene accurateque ratiocinandum, non minus

quam Opticae ad acutius rectiusque videndum necessitas apparuit.

Primi, qui facultatis hujus utilitatem probe viderint atque intellexerint, Eleatenses fuere, quorum princeps Zeno ad confutandos Sophistas, triplicem Dialecticam excogitavit docuitque: *Consecutionum*, videlicet, *Collocutionum*, & *Contentionum*. Optandum maxime erat, ut quae ars ad moderandam disputandi licentiam fuerat a majoribus nostris adinventa, in ipso parentum quasi sinu minime corrumperetur. Sed fato quodam misero funestoque rem aliter contigisse novimus.

Ab hoc Philosophorum delirio plurimum disceptando abhorruit Socrates magnum illud graecanicae sapientiae ornamentum ac decus. Is enim pleraque se ignorare simulans, tot tantisque interrogationibus adversarium Sophistam urgebat opprimebatque, ut vel invitus ille roganti manus victas exhiberet, vel propriis irretitus principiis turpissimam fugam arriperet. Atque haec celeberrima per interrogationes disserendi Ars Socratica, quam vel hodie in familiari sermone, inque ipsa ratione philosophandi retinere plures consueverunt.

Socratem in perficienda Dialectica secutus est Plato, Plato, inquam, cui paucos pares, superiorem fortasse neminem, dempto

pto Aristotele, apud Graecos invenias. Ab eo tria potissimum in disserendi facultatem invecta, & quidem maximo cum incremento disciplinae hujus. Principio enim tradidit artem recte definiendi vocabula, & quaestionis, ut ajunt, statum perspicue proponendi. Deinde commendavit artem opportune dubitandi, revocandique ad examen, quae non satis perspecta sunt. Tandem vel analyticam exposuit artem, qua nihil ad inveniendum utilius aptiusque. In hoc celeberrimo Dialectico magna quoque refulsit laus atque peritia Matheseos, quam mirifice disserendi coadjuvare vim potestatemque nemo est qui nesciat.

Quidnam de Aristotele dicam viro omnium maximo, neque minus ingenii scriptorumque gloria, quam secunda fortuna celeberrimo? Ejus quidem in Dialecticam merita nullis umquam dignis laudibus celebranda. Syntheseos acerrimus propugnator & cultor in syllogismo inveniendo explicando ornandoque elaboravit. Centum viginti tres libros logicos, teste Francisco Patricio, conscripsit. Sedes argumentorum, quas *locos topicos* appellat, uberrime enarravit explicavitque. Dolendum maxime aetati, moribusque Sophistarum, nomini potius quam veritati studuisse virum acutissimum doctissimumque.

Megaricos, Stoicos, Epicureos elementorum impeditus angustiis praeteribo: quorum primi perpetuis consecutionibus adversarios differendo irretibant; alteri vocabulorum rerumque definitionibus, ac multiplici veritatis criterio disputabant; postremi denique paucis iisque egregiis canonibus universamDialecticam iniquius,quam par esset, a Tullio vituperatam, comprehendebant. Idem de Arabibus, de Scholasticis idem mihi arbitror esse faciendum. Horum namque differendi ars potius ad contentionem atque garrulitatem comparata, quam ad veritatis sive inventionem, sive demonstrationem instituta videbatur. Hinc inanes illa disputationes aluit de substantiarum numero & generibus, de rationis, quod dixerunt, ente, de accidentibus, de oppositionibus, de praedicatis ac praedicabilibus, deque aliis sexcentis, quae puderet me dicere non intelligere, si vel ipsi intelligerent, qui ea illustrarunt.

Usque ad initium praeteriti saeculi hoc fatum Dialecticae fuit. Donec praeterito saeculo ineunte, singulari Providentiae munere, nova ejusdem Logicae quasi facies per Baconem de Verulamio apparuit, ejusque praeceptis institutisque in universas naturales disciplinas invecta est optatissima metamorphosis, qua de barbarie ac tenebris ad

tu-

tutiorem philosophandi rationem, ad lucem ipsam vocati sumus. Duo potissimum sunt Verulamii opera, in quibus novam ubique Dialecticam proposuit commendavitque. Horum unum ad Aristotelis imitationem *Novum organum* ab eo est appellatum; alterum vero *De augmentis scientiarum* inscribitur. In utroque autem ea proponitur ars disserendi, quae ab observatione experimentisque ducitur. Hinc optimae Philosophiae parens jure vocatus, cujus luminibus profecere posteri nepotesque.

Sed haec tribuenda Etruriae nostrae laus est, ut quo tempore in Anglia novum disciplinarum aedificium aurea penitus institutione pingebatur, eodem apud Pisanos, & Florentinos, philosophante Galilaeo, construeretur, eveheretur que ad altitudinem minime contemnendam. Quod Frisio olim nostro in doctissimo ejusdem Galilaei elogio observatum demonstratumque est. Quamobrem si immortale sibi nomen praecipiendo peperit Verulamius, eadem & fortasse major gloria Galilaeo debetur, quod praeclaram ignorans Angli Philosophi institutionem, eamdem melioremque usu Matheseos observando & experiundo sit secutus.

Baconem in nova veriorique Dialectica praescribenda imitatus est Renatus Carte-

tesius, qui etsi in Philosophia sua fere ubique somniator apparuerit; in tradendis tamen accurati ratiocinii regulis, si pauca demas, egregius semper est habitus. Ejus Dissertatio *De methodo* digna est, quae ab omnibus diurna nocturnaque manu versetur. A caussis ad Phoenomena descendendum statuit, in quo philosophorum ferme omnium meruit reprehensionem. Sed tanta apud eum consecutionum est firmitas, ut, Alamberto teste, nemo Cartesio possit consequentior inveniri. Prae reliquis illi prudentem modestamque dubitationem debemus, sine qua fieri haud potest, ut ad veritatem tuto philosophemur.

Cartesio etsi minor ingenii laude, aequior tamen in Dialecticae usu Gassendus, qui non solum in Physica restauranda, verum etiam in differendi arte promovenda excelluit. Is Epicuream Philosophiam conatus restituere, vel Epicuream Dialecticam excitavit e tenebris. Scripsit *de origine, & varietate Logicae*: criteria veritatis exposuit: nec non institutiones Dialecticas vulgari usus partitione elucubravit.

In Dialecticae praeceptis uberrime exponendis Cartesianorum facile princeps fuit Antonius Arnaldus, vir acerrimi ingenii divinaeque prorsus memoriae ac proinde maximae eruditionis. Illi adscribitur *Ars*

co-

cogitandi: opus e gallico sermone in omnia ferme idiomata communi gentium plausu translatum. Arnaldo optimi Dialectici nomen tribuendum, cum propter praeclara, quae tradit, instituta, tum propter exempla, quibus instituta illustrat sua. At nimius fortasse est in plurimis, nimius in syllogistica arte, in Cartesii phanatismo promovendo nimius.

A Malebranchio quoque mirum in modum aucta & promota est ars disserendi. Is librum edidit *De inquirenda veritate*, in quo sensuum & phantasiae deceptiones omnes scrutatus, quanam via rationeque ab iisdem cavere possimus, exponit. Errorum quos detegit, qui ad phantasiam referuntur, utilissimi apud omnes sunt habiti. Sed illud in tanto viro profecto mireris, quod cum tam egregie aliis philosophandi viam a phanatismo alienam praescripserit, ipse demum philosophando in deridiculum phanatismum inciderit.

Quas sibi laudes in rationali philosophia caeteri meruere, easdem in se uno complecti visus est Joannes Lockius. In ejus libro *De intellectu humano*, si quae ad materialismum & alia religionis dogmata referuntur excipias, genuina atque vera severioris Dialectici repraesentatur imago. Ideas innatas tanta vi & copia argumen-

torum insectatur, ut nullus superesse responsioni locus possit, quod Cl. Gerdili pace dictum intellectumque velim. Perpetuam idearum omnium & vocabulorum instituit analysim, in qua pleraque intimo sensui & observationibus animorum respondent. Sed tanta ejus doctrinae vis & robur est, ut saepius quam oporteret, singula repetendo fastidium creet delicatioribus.

Lockio non temporis cognatione, sed artis Dialecticae similitudine jungam Cl. Condillaccum. Hujus haec egregia sunt opera: *Specimen de origine cognitionum humanarum*: Item *Tractatio de sistematibus*: Item *Tractatio de sensationibus*: Item *Ars cogitandi*: *Ars ratiocinandi*. Quorum postrema duo iis voluminibus continentur, quae *De educatione Parmensis Ducis* inscripta sunt. In his omnibus Condillacchi operibus ea idearum reperitur analysis, qua nulla dari major atque elegantior possit. Vel ipse Lockius in plurimis corrigitur emenditurque. Omnia perspicuis notionibus explicantur, ipsumque ratiocinium sub nova versionis forma depictum exemplis a Geometria petitis exhibetur.

Quae de immortali Leibnitio ejusque imitatore Wolfio dici possunt, ea fere utrisque communia sunt. Neque enim in

re Dialectica a concinniori Scholasticorum methodo recessere. Mathematicum ratiocinandi morem secuti synthesim patrocinari voluerunt, in primis Wolfius, qui etsi recentiorum ubique promoveat opiniones atque sistemata, perpetuis tamen divisionibus ac subdivisionibus, ipsaque subtilitate sua scholasticus, & fortasse etiam scholastico subtilior apparet.

Analysim facultatum animi vel Carolus Bonnetus peculiari tractatione complexus est. Sunt qui hoc opus Condillacchiano praeferant. Dicam tamen quod sentio. Illud involutum nimis est, ubique hypotheticum, nec satis mathematica, qua elaboratum est, methodo concinnum. Quae Condillacchi vitia in eo reprehenduntur, ea, si sapias, virtutes potius quam vitia nominaberis. Magna enim sapientiae pars est, quae explicari nequeunt praeterire silentio, quod egregie praestitit Condillaccus.

Specimini huic Dialecticae historiae finem imponet saeculi nostri ornamentum Alambertus. Is pauca in suis *Philosophiae Elementis* obtulit ad hanc rem pertinentia; ea tamen dedit, quae plurima videri possunt sapientioribus. Hoc nos mirifice oblectamur opere, illudque iis commendamus, qui legere meditando consuerunt. Ejus enim prae-

ceptionibus quasi semper ad vera & sublimia rapimur.

Sunt haec initia, haec incrementa sunt disciplinae hujus nostrae. Plura de hoc argumenti genere cupientibus adeundi Georgius Walchius in *Parergis Academicis* Lipsiae anno 1721. editis, Petrus Gassendus *De origine & varietate Logicae*, Diogenes Laertius, Stanlejus, Bruckerus aliique. Caeterum in adolescentium, quos erudimus, utilitatem, vel praecipuas Italorum nostrorum institutiones meminerimus. Hujusmodi sunt quae a nostro Gualberto de Soria, ab Antonio Genuensi, ab Antonio Buccio nuper conscriptae fuere. Neque exterorum omittendae accuratae institutiones Cl. Viri Aloysii Vernej, quae cum styli elegantia, tum praeceptis exemplisque suis maxima videntur laude dignissimae.

Superest, ut de hisce nostris institutionibus pauca dicamus. Cum quaevis bene conformata Dialectica ratiocinandi debeat artem edocere, vulgatumque sit apud omnes, optimum ratiocinium ab optima idearum judiciorumque pendere comparatione, hinc vulgaris nata facultatis hujus tradendae ratio, quae tota explicatione operationum mentis continetur. Eamdem viam nos quoque lubentissime ingrederemur, nisi notum

no-

nobis cum Condillacco foret, multo plures esse intelligentis animi operationes, quam quae vulgari Logices partitioni commode aptari possint. Aut enim omnes accurate describendae explicandaeque, quod nos in Metaphysicis nostris institutionibus propediem prodituris in lucem facimus, aut nullae prorsus referendae, si quas exponimus, errori veterum confirmando inserviant.

Dicet fortasse quispiam, constitutam a veteribus partitionem non minus confirmari auctoritate & exemplo virorum doctissimorum, quam ratiocinii naturae optime respondere. Dicet vel ipsam Condillacchi analysim ad veterum posse doctrinam quamfacillime revocari, quippe quae fuerunt a majoribus nostris explicatae operationes caeteras quoque omnes comprehendant. Haec, inquam, & alia multa ab iis, qui adhuc sunt servum Scholasticorum pecus, emittentur in vulgus, quae tamen minime debeant nos ab incaepto cursu revocare.

Principio enim in philosophicis non est auctoritati litandum. Jam tritum illud: Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. Deinde non ii certe sumus, qui primi in Dialectica exponenda a vulgari partitione recedamus. Ab ea enim recessere Verulamius, Malebranchius, aliique, quos si omnes vellem hic recensere,

 he-

honoris tantum caussa nominarem. Quae de Condillacchi dicuntur analysi, ea falsa omnino sunt, probantque Cl. Viri doctrinam adversariis nostris minime esse perspectam. Quae demum de ratiocinii natura opponuntur, aut fortasse non sunt, quemadmodum dicuntnr esse, aut ea quoque in partitione nostra religiose servantur. Quod ne cui videar gratis constituere, eamdem, quam secuti sumus, viam breviter exponemus.

Duo potissimum in omni ratiocinio sunt, principia, nimirum, & consequentiae. Cum enim ratiocinando a notis perspectisque ducamur ad incognita, hinc a principiis ad conclusiones disserendo progredimur. Haec una ratio, qua ideas & judicia comparamus invicem, qua perpetuo ratiocinamur; & quidem bene sapienterque, si optime fuerint constituta principia, si nonnisi legitimae, ut ajunt, & necessariae ductae sint consequentiae; male autem, quoties vel in principiis, vel in conclusionibus quidam error appareat.

Jam vero tantum abest, ut Dialectica haec nostra ab hujusmodi ratiocinii natura abstineat explicanda, quin potius eamdem egregie statuit, confirmatque. Primus enim ejus liber *De principiis est in omni ratiocinio recte constituendis*; alter *De conse-*

quen-

quentiis in omni ratiocinio rite deducendis pertractat. Quid hac partitione simplicius? Quid rectius hoc ordine? Quid magis ratiocinii naturae consentaneum dici excogitarique potest?

Statim, ac id consilii coepimus, intelleximus etiam quam late pateret nobis aditus sive ad analyseos atque syntheseos praecepta statuenda, sive ad severioris critices declaranda instituta, sive demum ad omnem ratiocinii provinciam accurate perlustrandam. Vidimus optimeque perspeximus, idearum tractationem ad nostras Metaphysicae institutiones reservandam, neque interim ea omittenda, quae veris efformandis ideis, verisque judiciis statuendis inserviunt. Post haec, bene an male consultum nobis ratiocinio fuerit, aliorum esto judicium. Illud vero sin minus fecimus, conati certe pro virium infirmitate sumus, ut quae non ad doctorum hominum, sed ad juventutis utilitatem nostrae erant comparanda, ea simplici dicendi genere, brevibus praeceptis institutisque, luculentissimis demum exemplis exponeremus.

Ad optimos Etruriae Adolescentes, quorum bona mens est, ingenium acre, animusque ad praeclara omnia domesticis incitatus exemplis, alloquor. Eos igitur oro obtestorque, ut in id studium diligen-

tur incumbant. A tricis enim nugisque veterum illud abest. In omni disciplina locum habet, omnem vitae rationem sequitur, peregrinatur nobiscum, rusticatur. Uno verbo, illud prae reliquis utile ac necessarium est. Cui si Geometriam practicam, nempe, Dialecticam conjunxerint, illud perbrevi confido fore, ut reliquarum facultatum penetralia ingredientes, ad ipsum gravioris sapientiae culmen ascendant. Dixi, si utramque disciplinam conjunxerint. Solo enim studio Matheseos, quemadmodum in suis *Philosophiae Elementis* Alambertus habet, uni supremae evidentiae assuescimus, in eo secuti oculorum morem rationemque, qui si meridiana tantum luce utantur ad videndum, penitus in crepusculo caecutiunt.

DIA-

DIALECTICARUM

INSTITUTIONUM

LIBER PRIMUS.

De Principiis in omni ratiocinio recte constituendis.

IN omni ratiocinio aut nobis occulta veritas inquiritur, aut quae jam nota nobis est atque perspecta reliquis etiam ad utilitatem demonstratur. Primum ab analysi analyticum, alterum a synthesi syntheticum dicunt. Quoniam vero differentis est animi a notis ad ignota progredi, quaeque nota sunt nobis, ea principia & quasi fundamenta ratiocinii appellantur, hinc de principiis primo loco agendum nobis est. Exploratum est autem, in duplici hoc ratiocinii genere duplicis quoque generis esse oportere principia. Nunc itaque de analyticis, deinceps de reliquis pertractabimus.

PARS PRIMA

De principiis ratiocinii analytici.

AD analytici ratiocinii principia recte constituenda haec nobis non utilia solum, verum etiam necessaria videntur esse. 1. Sensuum minime decipientium usus. 2. Ars observandi, & experiundi. 3. Instrumentorum, quibus observationes & experimenta fiunt, cognitio. 4. Phoenomenorum ab observatione experimentisque pendentium aequa ac diligens comparatio. 5. Quibusdam phoenomenis felix adplicatio Matheseos. 6. Verae, falsaeque analogiae sapiens disquisitio. 7. Denique inanium hypothesium quasi horror & fuga. De singulis instituti memores nostri quambrevissime.

CAPUT PRIMUM

De sensibus eorumque praecavendis deceptionibus.

SEnsus a sentiendo dicti. Sunt enim quasi sensationum a Providentia constitutae parataeque viae. Horum duo sunt genera. Nam alii externi, interni alii nominantur. Externi numero quinque, *visus*, nimirum, au-

auditus, *odoratus*, *gustus*, & *tactus*. Interni vero duo, si moralem Shaftesbury, & Hutchesonii sensum immaginationi adjungas.

§. I.

De visu.

Cum tunicis tum humoribus oculi constant. Illae quidem ad *corneam*, *uveam*, *retinamque*; hi vero ad *aqueum chrystallinum*, & *vitreum* reducuntur. Horum videte apud Anatomicos descriptionem.

Radii lucis ab extrinseco corpore reflexi oculi pupillam penetrant, ibique in humorum transitu tribus subacti refractionibus, tandem in eo coeunt retinae puncto, quod oculi focum appellant. Cum vero retina optici nervi propagatio fit, hinc ad cerebrum usque communicatur motus, habeturque in animis ea praecise sensatio, quae lucis colorumque appellatur.

Multiplex sensorii hujus deceptio. Ab eo enim in errorem inducimur. 1. Circa plurium existentiam. 2. Circa figuram. 3. Circa distantias. 4. Circa magnitudines. 5. Circa velocitatem. 6. Circa motum, & quietem. 7. Circa colores.

§. II.

§. II.

De auditu.

Hae aurium praecipuae sunt partes. 1. *Concha*. 2. *Meatus auditorius*. 3. *Tympanum*. 4. *Quatuor ossicula*. 5. *Tuba Eustachiana*. 6. *Labyrintus*. 7. *Cochlea*. 8. Tandem *nervus acusticus*. De his quoque Anatomicos consulite.

Quoties tremor partium sonori corporis ambienti communicatus aeri ad tympani membranam appellit, eamque in similes tremores adigit, in motus quoque consimiles cietur aer in tympani cavitate delitescens. Cumque motus hujusmodi fibrillis nerveis propagetur, quae internam vestibuli aliarumque partium vestiunt superficiem, hinc idem motus in acusticum nervum delabitur, ex eoque ad cerebrum, cui praesens animus sonitus ideam percipit.

Varia ratione nos auditus sensorium decipit. 1. Sonitus longe dissitos aut minime repraesentat, aut exhibet omnino dissimiles. 2. Omnia & singula, quae in tonis insunt discrimina minime refert. 3. Vel ratione loci situsque ab eo decipimur. 4. Qui sonitus noctu vividiores, ii diu pene intermortui ad nos deferuntur.

§. III.

§. III.

De odoratu.

In hujusmodi sensorio simplicior est fabricatio. Nervorum aliqui, qui ab Anatomicis primae quintaeque conjugationis vocantur, deferuntur ad nares. Horum, quae sunt inter cutem & epidermidem constitutae extremae papillae praecipuum odoratus organum efformant.

Hinc si ab externis corporibus oleosae quaedam partes in aeris fluidum emittantur, eaeque inspirationis ope attrahantur a naribus, is motus in memoratis excitatur papillis, qui per nervos olfactorios ad cerebrum usque delatus, vigili statim animo odoris exhibet sensationem.

Ad deceptiones quod attinet. 1. Non quivis odor, faetorque ab naribus percipitur. 2. Quae uni odora, eadem putida aliis apparent. 3. Cum odorum vis arctis ut plurimum sit finibus circumscripta, a nullo odoris sensu vel ad virium olescentium absentiam, vel ab odori corporis sublatam praesentiam argumentamur. Denique quae sunt odora per *Communicationem*, ea passim odora per *originem* putamus esse, & vicissim.

§. IV.

§. IV.

De gustu.

Tres in lingua membranae ab Anatomicis distinguuntur: exterior una vocata *epidermis*; interior altera *reticularis* appellata ab iis, quibus perpetua est, foraminibus; postrema demum *nervosa*, sic a nervis dicta quintae septimaeque conjugationis, vel juxta Boerhavium a nervis conjugationis nonae. Horum papillae reticularis foramina subeunt, & ad epidermidem usque propagantur.

Fac igitur, ut ciborum salinae partes jam dentibus attritae, ipsaque saliva aliquantisper solutae hujusmodi papillas afficiant, motusque ad sedem animi deferatur in cerebro, jam prompta & expedita saporum sensatio est.

Gustatu falli nos decipique compertum. Quae uni sapida alteri insipida apparent. Hinc nulla saporis absoluta ratio, nulla constituta mensura est. Discrepat ille in ratione salium fibrarumque sensorii. Climatum, aetatum annique temporum rationem sequitur. Quin vel ipsa comitatur genera morborum, ipsamque eventuum quasi fortunam pro discriminis nota habere solet.

§. V.

§. V.

De tactu.

Sub universi corporis epidermide membrana reperitur innumeris foraminibus pertusa, quae *cutis* appellatur. Ad eam innumerae protrahuntur nervorum papillae, neque exterior ulla corporis pars est, quae iisdem sit destituta. Atque hae a Malpighio prima sedes constitutae hujusce sensorii.

Itaque ubi externa corpora, quae aut dura, aut mollia, aut laevigata, aut aspera, aut frigida, aut calida, aut gravia, aut levia sunt, descriptis papillis motionem imprimant, eadem per nervos ad commune sensorium transfertur, animisque percipientibus exhibetur.

Uberior in tactu quam in reliquis sensibus, fons errorum deceptionumque. Quamvis enim non sit aequabiliter per universum corpus ille diffusus, quemadmodum Tullio visum aliisque; tamen ad universas pertinet corporis partes adjumentoque manuum, in quibus est delicatior, caeterorum sensuum haberi institutor solet, quod in Metaphysicis institutionibus demonstrabimus. Quamobrem ejus insti-

tu-

tutione sensationes omnes ad extrinseca objecta credimus pertinere: doloris voluptatisque sensationem praecipuam ad corporis extremitatem nostri referimus: de corporum gravitate ac resistentia, de eorumdem laevitate & asperitate, de frigore demum caloreque turpitur judicamus.

§. VI.

De phantasia.

Interior sensus phantasia est, in ipsoque, qua corpus spectat, locata cerebro. Definitur itaque generica idearum omnium, omniumque motionum quasi sedes & domicilium, cujus adspectu animus praeterita & longinqua intuetur, praesentia auget minuitque, & quae sejuncta sunt copulat, quaeque copulata apparent, invicem disjungit ac separat.

Ea in pictoribus, atque poetis, ea in adolescentibus ac feminis, in ebriis, atque dementibus ea faecundior ditiorque. Qui omni phantasia caret stupidus brutusque; qui vero nimia pollet moderatae incapax reflexionis, aliquando etiam opus habet helleboro. *Medio tutissimus ibis.*

§. VII.

§. VII.

De morali sensu.

Ingenitum illud criterium, quo bona & mala, quo pulchra & deformia secernimus, moralis sensus appellatur. Adversus eumdem scripsere satis Lockius Condillaccus, aliique. Io eo autem sive admittendo, sive impugnando suo quisque utatur judicio.

Monitum.

Quae breviter a nobis de sensuum externorum descriptione sunt dicta, accuratissime a Winslovio Hallero Le Cat, aliisque plurimis exponuntur. Quod vero ad sensuum omnium deceptiones attinet, in primisque de iis, quae phantasiae tribuuntur, nemo fortunatius atque copiosius Malebranchio disseruit in libris: *De inquisitione veritatis*. Quae quemadmodum sint intelligenda philosopho, ingeniose non minus, quam lepide docuit Joannes Dominicus Testa.

CAPUT II.

De Arte observandi, & experiundi.

IN Observatore experimentique conditore tria cautionum genera opportuna esse intelligimus, quorum alia observationes & experimenta praecedant, alia comitentur, subsequantur alia necesse est.

§. I.

De antecedentibus observationem &c.

Ad hoc genus reducuntur. 1. Ingenium acre, patiensque laboris. 2. Mens a systematibus aliena. 3. Rerum phisicarum & experimentalium librorum cognitio. 4. Instrumentorum affabre confectorum comparatio. 5. In iisdem versandis tractandisque peritia & usus. 6. Denique clara & distincta rerum quaerendarum idea. Explicemus haec accuratius.

Itaque I. Requiritur *ingenium acre patiensque laboris*. Quanto enim ingenio non praeditere Galilaeus atque Newttonus! Quam incredibili non est usus patientiae exemplo Sanctorius!

II. *Mens a systematibus aliena*. Sunt enim

nim antecedentia systemata veluti nubes, quae splendidae veritatis lumen impediunt. Peripateticorum Torricelliana experimenta intuentium id patet exemplis.

III. *Rerum physicarum & experimentalium librorum cognitio*. Sciat quippe constitutas detectasque naturae leges, qui novas invenire cupit, aut augere & confirmare vetustas. Experimentalium vero librorum lectione ad nova inventa paratiores fieri videmur. Hinc vel ipsa Academica Acta diu legi meditarique debent.

IV. *Instrumentorum affabre confectorum comparatio*. Quod prysmatibus minime perfectis uterentur Parisienses Academici, eorum de luce experimenta post Newtonum repetita infelicem eventum habuere.

V. *In iisdem versandis tractandisque peritia & usus*. Quid enim observando & experiundo proficiat qui nondum instrumenta viderit, in iisque versandis omnino sit hospes?

VI. Demum *clara & distincta rerum quaerendarum idea*. Quam si habuissent aut motus perennitatem Physici perscrutantes, aut philosophicum lapidem inquirentes Alchymistae majori certe cum laude tempus insumpsissent.

§. II.

De concomitantibus observationem &c.

Dum vero ventum fuerit ad observationes & experimenta, haec diligenter investigabimur. 1. Rationem nostri. 2. Loci. 3. Temporis. 4. Anni tempora. 5. Ventorum vim directionemque. 6. Fortuita quaeque. 7. Vel minima summo in pretio habuerimus.

Primum ergo Philosophus peculiarem *sui ipsius rationem* habeat, seque ipsum sedulo introspiciat, omnique ex parte accuratius, quoad potest, intueatur. Quae ex crystallo instrumenra constant, ea frigescente manu opaca proindeque usibus inepta redduntur.

II. *Rationem loci*. Pendulorum oscillationes accelerantur ad polum, retardantur ad aequatorem. Plantarum & animantium indoles pro varia locorum ratione discrepat.

III. *Rationem temporis*. Non omne tempus electricis phaenomenis opportunum. Optica lucis experimenta nonnisi ridente Coelo prospere eveniunt.

IV. *Anni tempora*. Capitis coclearum reproductiones a Spallanzano primum observatae habentur illae quidem, si vere aut

aut non multo secus amputatio fiat. At si alio tempore non satis ad vegetationem apto fiat experimentum, frustra idem caput expectatur. Quod Bomarius observasse debuerat.

V. *Ventorum quoque vim directionemque*. Id potissimum in Nautica necessarium, neque omnino spernendum in Medicina.

VI. *Fortuita quaeque*. Phosphorica barometrorum ratio ex fortuiti eventus consideratione detecta.

VII. *Vel minima summo in pretio habenda*. Perbelle enim inquit Plinius: *in naturae contemplatione nihil supervacaneum videri potest*.

§. III.

De consequentibus observationem &c.

Post observationes & experimenta haec praestare ad veritatem inveniendam juverit. 1. Experimenta & observationes repetendae. 2. Omnia nostra cum iis, quae ab aliis fortasse facta in eamdem rem fuerint, comparanda. 3. Cum viris doctissimis conferenda omnia, illorumque expectanda sive approbationis sive reprobationis suffragia.

Quamobrem I. *Repetenda omnia*. Nihil dico de iis observationibus & experimen-

tis, quae natura suapte repeti debent, cujusmodi sunt, quae in ratione locorum temporumque phaenomena habent varia ac multiplicia. De iis tantum loquor, quae etsi uniformia illusionibus sunt undequaque subjecta. Auri vetrificatio ab Hombergio observata, Macquero aliisque Chymicis haud potuit observari. Utinam ad hoc non sint genus reducendae observationes Cl. Viri Toaldi de actione Lunae in atmosphaeram.

. . *mnia nostra cum aliis &c. comparanda*. Id omnes ferme inventores praestitere, fecitque in primis Cl. noster Felix Fontana in eo potissimum opere, quod *De veneno viperae* inscribitur, idemque antea in eodem argumenti genere praestiterat magnus Rhedius.

III. *Cum viris doctissimis &c.* Etsi philosophia nostra minime sit Pytthagorica; consulenda tamen sapientum vox est, eique summopere tribuendum. Hunc morem secuti sunt gravissimi quique viri, inter quos Bonnetus, qui multa cum Reaumurio, multa cum Spallanzano contulit.

Monitum.

De arte observandi & experiundi, legendi in primis Musschenbroekius, Deslandius,

dius, Polenus, Nolletus, Jallabertus, qui rem hanc egregie illustrarunt.

CAPUT III.

De praecipuis instrumentis, quae cum observando tum experiundo inserviunt.

Observatoribus sola uti lente datum concessumque. Caeteris vero experimenta facientibus uberior latiorque praescripta instrumentorum provincia est. Eam nos ad quatuor veluti suprema capita reducimus. Sunt enim celebriora instrumenta alia optica, alia meteorologica, alia hydrostatica, diversi generis alia.

§. I.

De instrumentis opticis.

Optica instrumenta ea dicimus, quae cum visioni perficiendae, tum lucis radiis varia ratione tractandis versandisque inserviunt. Huc pertinent. 1. Lens. 2. Mycroscopium. 3. Telescopium. 4. Quadrans. 5. Heliostata. 6. Prisma. 7. Speculum, quod ab effectibus ustorium appellant.

I. *Lens* est parvum lenticularis figurae vitrum, quo vel lucis radii in unum

quodammodo punctum colliguntur vel separantur pro ratione figurae, qua ipsa constat. Instrumenti hujus multiplicia genera, diversam vim potestatemque videte apud Opticos in primisque apud Smyth.

II. *Microscopium* est instrumentum, quo vel minima quaeque corpuscula ex legibus refractionis maxima apparent. Illud nunc simplex, nunc compositum dicitur. Praeterea vel aqueum, vel solare, vel reflexionis est. Celeberrimum quoque Lyoneti microscopium. De hoc instrumento videte Nolletum.

III. *Telescopium* fortuito apud Batavos inventum, primum a Galilaeo nostro summa arte confectum est. Eo vel remotiora objecta, perinde ac si propinqua forent, clare intuemur. Duobus saltem vitris constat, quorum unum *oculare*, *objectivum* alterum appellatur. Multiplex instrumenti hujus ratio. Nam vel Galilaejanum, vel Hugenianum, vel Newtonianum, vel Dolondianum, vel Bosckovickianum ab inventoribus dictum. De hoc instrumento videte Astronomos, Montuclam, De-la Landium, in primisque monumenta Dyoptrica Bosckovickii Mediolani edita anno 1771.

IV. *Quadrans* est instrumentum, quo potissimum Nautae & Astronomi in altitudinibus angulisque dimetiendis utuntur.

Quar-

Quartam illud circuli partem in nonaginta gradus divisam una cum dyoptris repraesentat. In ratione usuum, quibus est comparatum, discrepat.

V. *Heliostata* est machina, qua in obscuro loco luminis experimenta fiunt. Duabus illa praecipue partibus constat: quarum prima speculum habet planum atque metallicum pedi insistens; altera horologium speculum dirigens. De ea videte S' Gravesandium.

VI. *Prysma* est triangulare vitrum, ad lucis colorumque naturam investigandam comparatum, primumque ab Isacco Newtono quasi divinitus adhibitum.

VII. *Speculum ustorium* instrumentum est, quod solares radios in unum veluti punctum ad eorum vim potestatemque augendam colligit. Illud vel concavum est usitatius ex metallo conditum, ac reflexionis ope longe dissita urens objecta, vel convexum lentis causticae nomen habens rationemque.

§. II.

De instrumentis meteorologicis.

Meteorologica instrumenta sunt, quibus atmosphaerae dignoscuntur vicissitudines,

 ipsa-

ipſaque meteora deſignantur. Hujuſmodi ſunt 1. Barometrum. 2. Thermometrum. 3. Pertica fulminea 4. Anemometrum. 5. Anemoſcopium. 6. Eudiometrum.

I. *Barometrum* dicitur inſtrumentum, quo aeris gravitatem & elaſticitatem ad Coeli pluviam ſerenitatemve agnoſcendam dimetimur. Torricellii inventum illud eſt, de cujus accurata fabricatione hiſtoria correctione & uſu legendus Joannes Andreas De Luc in *Perquiſitionibus de viciſſitudinibus Atmoſpherae &c.*

II. *Termometrum* eſt inſtrumentum, quod atmoſpherici caloris frigoriſque intenſitatem exhibet. A Newtono, Amontonſio, Fareneitto, Reaumurio, aliiſque valde perfectum, ſed ſolo ſtudio laudati Joannis Andreae De Luc omnibus quaſi numeris abſolutum. Is itaque conſulendus.

III. *Pertica fulminea* eſt ferrea quaedam pertica in cuſpidem acta, inque locorum altitudine rite conſtituta ad nubium electricitatem inveſtigandam. Ea immortalis Franklini inventum, quo coeleſtem fulmineum ignem non fabuloſe, quemadmodum Prometheus, ſed vere ſubripi poſſe docuit.

IV. *Anemometrum* eſt machina ad ventorum vim dimetiendam comparata. Et

mul-

multiplici forma construi potest. Est anemometrum in Anglicanis transactionibus relatum. Est quoque alterum a Wolfio in Pneumatica descriptum. Monumenta etiam Acad. Scient. ad annum 1734. aliud anemometrum accurate designant.

V. *Anemoscopium* est quoddam instrumenti genus, quo aut ventorum praedicuntur mutationes, aut eorumdem directio exhibetur.

VI. *Eudiometrum* est instrumentum, quo vel minima aereae salubritatis discrimina repraesentari curarunt saeculi hujus nostri Physici praestantissimi. De eo agunt Cl. noster Fontana, Eques Marsilius Landrianus aliique. Videte Pisanas Ephemerides tom. 23, art. 1.

§. III.

De instrumentis hydrostaticis.

Quae liquidis mensurandis inserviunt, ea hydrostatica instrumenta vocantur. Talia sunt Lanx hydrostatica, & Hydrometrum.

I. *Lanx hydrostatica* est quoddam staterae genus, quo specificae, ut ajunt, solidorum liquidorumque gravitates metiuntur. Ea hoc Archimedis nixa theoremate: Quae corpora sunt aqua graviora minus in

in eadem aqua, quam in aere gravitant in ratione ponderis ejusdem aquae.

II. *Hydrometrum*, quod alii Areometrum vocant, est instrumentum alterum, quo densitates gravitatesque fluidorum mensurantur. Ejus videte descriptionem apud Academiam *del Cimento*, & apud Nolletum.

§. IV.

De instrumentis diversi generis.

Ad postremum hujusmodi caput reducimus. 1. Machinam Pneumaticam. 2. Electricam. 3. Pyrometrum. 4. Planetarium Orreryanum.

I. *Machina Pneumatica* est instrumentum ab Ottone Guerickio excogitatum, perfectumque a Boylio, unde Boylianum quoque dici consuevit. Eo densior extrahitur aer, illudque vacuum inducitur, quo vulgares atmosfpherae suspenduntur effectus. Ejusdem descriptio a plurimis facta est, potissimum a Boylio, S' Gravesandio &c.

II. *Machina electrica* ea dicitur, quae quodam attritu partium comparata est ad excitanda in pluribus corporibus phaenomena attractionum & repulsionum, luminis & concussionum. Ejus usu America-

nus

nus Francklinus, atque Italus Beccheria nominis immortalitatem ſunt conſecuti.

III. *Pyrometrum* eſt inſtrumenti genus a Muſſchenbroeckio adinventum, quo caloris ope varia metallorum dilatatio menſuratur. Eundem inventorem conſulite.

IV. *Planetarium Orreryanum*, ſic ab inventore dictum, eſt machina in adoleſcentium Aſtronomiae vacantium excogitata utilitatem, quae planetarum motus & phaſes repraeſentat. Inſtrumenti hujus genera alia magis, alia minus ſimplicia ſunt pro ratione motuum & phaſium, quae exhibentur. Videte Ferguſon.

Monitum.

Locupletiorem inſtrumentorum numerum ac deſcriptionem dedere Jacobus Beſſonus, Georgius Andreas Bocklerus, Joannes Branca, Jacobus Leupoldus, Claudius Perraultius, Auguſtinus Ramelius, Victorius Zonca, aliique. Prae caeteris vero legendus Nolletus in *Programmate*.

CAPUT III.

De phaenomenis ab observatione experimentisque pendentibus, quae sola atque inconcussa analytici ratiocinii principia sunt.

TRia in hoc capite perscrutabimur. 1. Quaenam falsa. 2. Quaenam vera analytici ratiocinii principia sint. 3. Denique quemadmodum instituenda phaenomenorum comparatio, ut ea recta dici jure meritoque possit.

§. I.

De falsis analytici ratiocinii principiis.

Jam fuit tempus illud, quo majores nostri Scholarum praejudicio abrepti, solis ad omne ratiocinii genus ineundum abstractionibus solaque Aristotelis utebantur auctoritate. Hujusce temporis calamitatem illacrymando recordamur. Tunc enim inventum fere nullum factum est, nisi fortuitum. Itaque abstractiones pro veris analytici ratiocinii principiis haberi nequeunt.

Huic philosophandi methodo substitutae per Cartesianos hypotheses. Sed aeque per abstractiones ac per ea, quae arbitratu ho-

hominum ponebantur esse, veritas in occulto latere, & a philosophiae procul regno vagari visa est. Illud unum super abstracta hypothesibus tribuendum, quod earum sive veritatem sive falsitatem agnituri Philosophi ad veriora principia confugiendum sibi esse existimaverint. Ex quo fit, ut vel Cartesii deliramenta praeconio sint aliqua ex parte efferenda, quemadmodum laudator ejus Thomasius observat.

§. II.

De principiis veris.

Quibus ergo mediis quibusve utendum principiis est, quo tutius ignota nobis veritas disserendo innotescat? Iis certe credo, quibus perpetuo usi sunt homines ad naturae arcana patefacienda nati: iis, quae praecipiente Verulamio, philosophante Galilaeo nostro, abstractionum & hypothesium loco substituta fuere: uno verbo iis, quae sola phaenomenorum accurata comparatione solisque, ut ajunt, factis rite perpensis libratisque continentur.

Rem hanc indubiam facit verax inventorum omnium historia. Quae enim a Galilaeo, Newtono aliisque fuere ratiocinando detecta, ea phaenomenis ab observatio-

ne

ne experimentisque pendentibus innituntur. Quod si quis firmiorem adhuc demonstrationem expostulet, illam a semetipso quaerat longe procul a factis differendo.

Quaesitum est: *Num hydrargyrum in Torricelliano barometro contentum pluvio tempore attolli, an deprimi debeat?* Qui facta nolit ratiocinando intueri, hac profecto ratione differuerit. Aer pluvio tempore vaporibus oneratur: augetur itaque ejus massa: sed in ratione massae augetur gravitas: ergo aer pluvio tempore gravior. Jam vero aucta gravitate aeris, ejus quoque augeri pressio debet, auctaque pressione hydrargyrum debet attolli. Ergo &c. Interea oppositum accuratae, si Superis placet, demonstrationi perpetuo contingit.

Quaesitum item: *Num ab exiguo semine magna quaedam possit planta exoriri?* Quis credat? Effectus debent suis caussis respondere. Quae autem inter exiguum semen magnamque plantam proportio? Nulla scilicet. Ergo &c. Sed experientia id quotidie fieri probat confirmatque.

Quaesitum denique: *An vapor fulmineus humana possit arte a nubibus subripi?* Navigas Anticyram. Numquid ad nubes usque attolli, actionemve in distans promovere nostram possumus? Jamdiu praeteriit tempus fabularum. Eja ne mireris.

Fran-

Francklini arte id fieri jam posse vulgatum est.

Itaque vel per absurda patet, in analytico ratiocinio sola spectanda phaenomena, eaque tantum ineluctabilia esse vera & faecunda principia.

§. III.

Quemadmodum instituenda phaenomenorum comparatio, ut ea recta dici jure meritoque possit.

Sed nondum de accurata phaenomenorum comparatione dixi, in qua proprie verae inventionis ratio tota versatur. Multa ad hanc rem pertinentia capite hujus primae partis secundo dicta sunt. Sed iis per leges, quae sequuntur, ad utilitatem uberior fiet accessio.

Lex I. *Non una eademque ratione, sed varia atque multiplici interroganda natura est, quo tutius ejusdem responsa intelligamus.* Boylius ad detegendam quam inter aerem & flammam natura posuit cognationem, pyrio usus est pulvere. Principio eumdem in recipientem invexit pneumaticae machinae, a qua extraxit aerem, admotoque illuc igne quaesivit, flammane an explosio strepitusve appareret.

ret. Nihil prima hac experimenti ratione secutum. Hinc eidem igni solares radios substituit, nunc per ustorium speculum collectos, nunc reflexos per metallicum. Interim pulvis vel diffundi, vel in acervum coire visus est, nihil praeterea. Tertio in eodem vacuo ad nova experimenta ventum est. Adhibuit itaque ignitum ferrum, idque laudati pulveris granulis consperſum. Demum vitreo globo usus, extractoque aere, illud inter accensos carbones posuit. Varia hinc & multiplicia apparuere phaenomena. Nunc enim magna cum fumi copia pulvis diffusus; nunc, caeteris illaesis, unius zulphuris accensio consecuta; nunc incensa separatim granula; nunc denique cum diffusione ac strepitu flamma in eodem pulvere excitata.

Lex II. *Diu multumque interroganda natura, quo rectius ejusdem responsa interpretemur*. Hujusmodi lex a prima superius exposita Observatorum cautione proficiscitur. Joannes Andreas De Luc 20. annos ad barometri ac thermometri phaenomena consideranda insumpsit. Quadraginta annorum spatio Sanctorius, triginta Dodartius ad transpirationis regulas statuendas laborarunt. Quid de Galilaeo dicam ad telescopii perfectionem philosophante? Quid de incomparabili viro naturaeque in-

ter-

terprete Newtono, ad lucis theoriam absolvendam? Magnis laboribus magna inventa comparantur.

Lex III. *Eo ordine naturae responsa disponenda, quo unum ab altero explicetur, omniaque ad idem commune principium reducantur.* Primum, quod in determinato liquorum ascensu veluti ex semetipsa natura responsum exhiberet, Florentiae auditum est, per anthlias Olitori redditum, magnoque viro Galilaeo nunciatum. At vero Florentinus Philosophus ab hujusmodi eventu ad solam potuit caussae ignorationem argumentari. Secutus inde Torricellius, qui primo inversi tubi experimento instituto, collataque mercurii columna altitudinis pollicum fere 27. cum aquae columna ejusdem basis, altitudinis vero pedum 32. idem in utraque pondus reperiit, demonstravitque liquorem in tubo haud posse suspendi, nisi quia cum aeris determinata columna perfecto in aequilibrio poneretur. Hanc Torricellii demonstrationem confirmare conatus est Paschalius. Vidit enim ille optimeque intellexit, prementem aerem, si tamen premeret, ea prorsus lege, qua caeteri liquores, gravitare oportere, nimirum, in ratione altitudinis. Hinc repetitis barometricis experimentis, ubi variae erant atmosphaerae altitudines, res ei pro-

spe-

ſpere contigit, inque ipſa altitudinum ratione liquores apparuere ſuſpenſi. Hinc eadem experimenta ſuillis repetita vexicis aeris confirmarunt gravitatem. Hinc atmoſpherae viciſſitudines cum barometri mutationibus collatae adamuſſim repertae ſimillimae. Hinc demum barometrica ſuſpenſionum ratio vel in vacuo Boyliano obſervata ad idem commune principium referri viſa eſt.

Lex IV. *In quavis phaenomenorum comparatione ſolam quaeres effectuum in effectibus ipſis rationem, phaenomenorum leges, vincula, cognationes, affinitates inveſtigaberis, caetera contemnito.*

In naturae inveſtigatione nemo ingenioſior fortunatiorque Newtono. Ab eo univerſalis attractio, qua mundi partes continentur, detecta. Ab eo attractionis hujus comparata phaenomena, explicatae demonſtrataeque leges. Perpetuum tamen ab eo de attractionis natura ſervatum ſilentium. Quod ſi Coteſii interpretis opera factum eſt, ut non improbante Newtono attractio veluti eſſentiale attributum in praefatione ad *Principia* nominetur, vitium habes, quod ex Alamberti ſententia, in ſeneſcente viro maximo reprehendas. Eamdem legem Francklinianae electricitatis exemplum probat confirmatque.

Lex

Lex. V. *In ipsa vero phaenomenorum perquirenda ratione, utere hoc vulgato axiomate : Si quotiescumque ponitur A ponatur & B, quotiescumque aufertur A auferatur & B, erit A caussa B.* Obscurum incertumque *caussae* nomen. Eo, quod ad nos attinet, hoc in loco clarius exprimitur id, unde intelligitur, cur aliquid sit, aut tale sit. Vis motionum corporis caussam me animum appellare? Fac, ut animorum voluntate posita corporis motio ponatur, eademque auferatur, si animorum absit voluntas. Nihil repugnabo. Hac eadem ratione peculiaris quaedam telluris nostrae inter solem & lunam positio lunaris ecclypsis caussa est per Philosophos.

Monitum.

De hoc argumenti genere legendi Abbas Condillaccus, Alambertus, Bonnetus cum Interprete Spallanzano, aliique.

CAPUT V.

De usu, abusuque Matheseos in legitima quorumdam phaenomenorum interpretatione.

CUM in naturae phaenomenis interpretandis non minus fructuose, quam inutiliter mathematicis uti rationibus possimus,

mus, hinc 1. De usu. 2. De abusu facultatis hujus differemus,

§. I.

De usu Matheseos &c.

Quanta sit Matheseos in recta quorumdam phaenomenorum interpretatione utilitas, sapientum nemo nescire potest. Cum enim ignorato motu natura quoque ignoretur, ipsaeque motus leges a mathematicis rationibus omnino pendeant; hinc facultatis hujus usus atque necessitas ei, qui Physicam minime fabulosam velit addiscere.

Accedit, quae quanta dicuntur esse proprieque sunt, ea nonnisi cum debita mensura intelligi posse. Jam vero mensuram hanc sola Matheseos disciplina suppeditat. Synthesi enim finitae ac determinatae quantitates, quaemadmodum analysi infinitae indeterminataeque metiuntur. Sed nihil magis ad rem confirmandam valet naturalis disciplinae ortu atque incremento. Dum enim Physica a Graecis atque Alexandrinis est culta, vel ab ineunte aetate sua mirum in modum progredi visa est, potissimum in scholis Epicuri Democritique. Miserrima autem ejus apud Scho-

la-

lasticos conditio; quippe nulla habita ratio Matheseos.

Quod si renasci quodammodo visa est, philosophante Galilaeo, id non minus observandi & experiundi methodo, quam mathematicae supputationi jure meritoque tribuas. Viderat enim vir acutissimus, Academiae nostrae decus & ornamentum, naturae librum mathematicis cyphris conscriptum esse, proindeque solo circulorum, triangulorum, quadratorum idiomate interpretandum. Atque utinam ab eo uberior fieri sublimioris Geometriae usus potuisset. Ad ipsa proculdubio accessisset inventa posterorum.

Sed id reservatum Newtono erat, qui vera per Galilaeum philophandi ratione adinventa, & jam analysi per Cartesium Geometriae adplicata longiusque a semetipso promota, divino, quo pollebat ingenio, universi systema in obscuris adhuc delitescens feliciter fortunateque explicavit. Itaque si Galilaei demonstratum operibus, quanto veterum Geometria adjumento fuerit ad quaedam phaenomena egregie explicanda; ab anno 1687., quo Newtoni apparuere principia, nemo jure potest de analysis ad eumdem finem utilitate dubitare.

Hinc immerito doctissimos nostrorum tem-

temporum Physicos reprehendunt Buffonius ac Diderotius. Ille enim in praefatione ad naturalem historiam solis vellet Astronomiae Opticaeque finibus mathematicam contineri. Hic vero in suis *De naturae interpretatione cogitationibus* specie quadam irrisionis eamdem disciplinam omnino exulem cuperet extorremque.

§. II.

De abusu matheseos &c:

Dixi ad quaedam naturae phaenomena interpretanda maxime utilem ac necessariam matheseos facultatem esse. Quid vero putandum de iis, qui in quavis interpretatione ac studio sapientiae ea tamquam lydio utuntur lapide, nihilque se invenire posse existimant, quod quaesitum ab iis mathematica ratione non fuerit? In omnibus Horatio praecipiente

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Non omnes physicae partes, neque omnia naturae phaenomena geometriae, & ana-

analyſeos poſſunt adjumento explicari. Sunt, quae ſola obſervatione ſoliſque experimentis gaudent. Sunt quae praeter obſervationes & experimenta quidpiam in ſe menſurae recipiunt, eoque laetantur.

Hinc etſi geometrica & analytica principia maximo ſint ad rationalem medicinam adjumento, quod proprio confirmarunt exemplo ex noſtris Borellius, atque Bellinus, exterorum vero Keyllius, Michelottus, Surinus, Boerhavius, Haleſius, inprimiſque Sovageſius, aliique; non omnia tamen, quae ad medicinam ſpectant, ſyntheſi, vel analyſi poſſunt dimetiri, jureque Pitcarnium reprehenderis, quod ſibi temeritate non ferenda problema illud ſolvendum propoſuerit: *Dato morbo remedium invenire*. Itaque ne in vitium culpae ducat fuga, quae caret arte, tres hujuſmodi leges religioſe ſervabis.

Lex. I. *Geometricis & analyticis menſuris ea ſolum ſubjiciunto, quae eaſdem menſuras propria natura atque indole patiuntur*.

Lex II. *Quae datis, ut ajunt, ſufficientibus carent, aut nimis vario & multiplici conſtant genere principiorum, ea ne geometricis & analyticis rationibus definiunto*.

Lex III. *Ubi natura ſileat, ubi conticeſcat experientia, vel mathematicum idioma ſileat, neceſſe eſt*.

Mo-

Monitum.

De usu abusuque Matheseos plura perquirenti adeundi Montucla, Frisius, Alambertus, P. Fontana, aliique innumeri.

CAPUT VI.

De phaenomenorum analogia, quae nos ut plurimum in ratiocinii analytici principiis fallit decipitque.

Analogiae nomine ipsam rerum similitudinem cognationemque intelligimus. Ea uberrimus fons veritatum atque una simul errorum deceptionumque. Ea vel in principiis analytici ratiocinii statuendis maximo nobis adjumento quandoque etiam detrimento esse solet. Duplex igitur analogia, vera nimirum, & falsa. De utraque nonnulla attingemus.

§. I.

De analogia vera.

Vera analogia est, quae perfecta rerum similitudine perfectaque cognatione continetur. Geometrica omnia hoc in sensu dicun-

cuntur analoga. Hinc omnes circuli, omnia triangula, quadrata omnia easdem proprietates habent, unaque cognita harum figurarum, perfacile ad reliquas intra eamdem speciem dignoscendas perveneris.

Sed longe dispar ratio est, si extra mathematicas disciplinas perfecta isthaec similitudo inquiratur. Demptis enim iis, quae ad rerum essentias referuntur, plura perfecte similia videntur esse, quae nonnisi proxime similia sunt. Si datum nobis concessumque foret, omne rerum genus speciem omnem, omneque individuum cogitatione complecti, analogica ratio demonstrationem perpetuo exhiberet. Sed rem aliter se habere proprio non minus, quam alieno experimento didicimus.

Nullibi ergo extra mathematicas disciplinas analogia vera reperietur? Eadem nemini in recta phaenomenorum interpretatione utendum? Non ita sane. Ea enim sunt usi philosophi praestantiores, Galilaeus in primis, atque Newtonus. Ea nobis quoque utendum, dummodo has veluti comites habeat conditiones.

Conditio I *Realia*, ut inquiunt, *non apparentia esse debent signa similitudinum, quibus vera analogia innititur*. Hujusmodi sunt plura analogiae signa, quae inter plantas, & animantia observarunt Naturalistae,

de quibus videndus Bonnetus. Hinc realia dico hujusmodi signa, si ea non uni solum alterive, sed omnibus aut plerisque saltem appareant.

Conditio II. *Numero plura multiplicia & varia sint oportet similitudinum signa, quibus verae analogiae ratio constituitur.* Antequam Francklinus veram analogiam inter fulmen vaporemque electricum conjectaret, haec omnia observarat signa similitudinum. 1. Fulmen in corpora eminentia, eaque in cuspidem acta fertur; in acuminata corpora fertur in machina electricus vapor. 2. Metalla fulminum sunt consuetae, & quasi dixerim, a natura paratae viae. Easdem vias vapor electricus in machina sequitur. 3. Fulminis ictu nonnulla corpora ignem flammamque concipiunt. Item nonnulla corpora scintilla accenduntur electrica. Quod si perraro id contingat in fulmine, idem neu frequenter expectes in machinae electricitate. 4. Metallorum liquatio, quorundam corporum in partes dissolutio, laceratio, animantium interitus, ipsaque magnetis commutatio, aeque per fulmen ac per electricum vaporem obtinentur. Quae omnia fuse Nolletus explicat in *Monumento*, quod in sua versione refert Prystley Interpres.

Conditio III. *Parvum minimumque di-*

scri-

scrimen, quod vel inter similia dari potest, nonnisi a peculiari quodam nondum explorato adjuncto oriri debet. Cl. Baldassarrius, Senensis Academiae lumen: *In animadversionibus ad principia amiantum constituentia*: conditionis hujus necessitatem faelicissime exponit confirmatque. Postquam enim statuit, amiantum & talcum una simul in iisdem locis conjuncta confusa atque etiam intermixta reperiri, retulitque plurium Naturalistarum opinionem putantium, naturam unius in alterius naturam converti, atque hinc utrumque vi ignis minime commoveri, & solum propriis liquefieri fusoriis; concludit inde, eadem esse utriusque principia constituentia, quodque inter unum & alterum discrimen est, id a peculiari quodam adjuncto, aut nondum detecto, aut minime observato putat repetendum.

Conditio IV. *Denique vera analogia nulli debet observationi nulli experimento adversari; imo potius institutis ea observationibus experimentisque confirmari debet*. Hoc sane pacto Galilaeus analogiam, quae est inter tellurem nostram & planetas confirmavit. Hoc pacto Newtonus analogiam demonstravit, quae inter gravitatem terrestrem & planetariam reperitur. Hoc demum pacto Francklinus cervi volantis perticaeque fulmineae experimentis probavit confirma-

virque analogiam, quam inter fulmen & vaporem electricum conjectarat.

§. II.

De analogia falsa.

Impatiens animus ipsaque in multis naturae uniformitas, teste Jacobo Riccato, in causa sunt, cur ad analogiam, saepius quam oporteret, recurramus. Sed quemadmodum ex nimia cogitationum celeritate aliquando judiciorum nostrorum sequitur error, ita ex male posita uniformitate naturae ut plurimum differendo decipimur. Mirum quam late pateant duo haec vitiorum genera. Iis enim Botanici, & Naturalistae, Chymici, Astronomi, Physici, Medici, Theologi, uno verbo omnes labefactamur. Quae quidem vitia effugere qui volet, omnes autem velle debent, adhibebit ad considerandas res & tempus & diligentiam. Sed de falsa in disciplinas omnes invecta analogia pauca dicamus.

Analogia falsa Botanicorum & Naturalistarum. Principio Botanici plantas omnes ad quaedam suprema genera reduxere, idemque de animantibus fecere Naturalistae; cumque novis observationibs novae plantae, novaque animalia detecta fue-

fuerint; hinc in fupputatione magnus error, magna deceptio. Idem de circulatione humorum in plantis, idem de generibus illarum proprietatum dixeris, quae ante polypi inventum, detectamque coclearum reproductionem animantibus tribui confueverant.

Analogia falfa Chymicorum. Inter humanum corpus chymicumque fornaculum abfolutam hi philofophi pofuere fimilitudinem. Hinc cor ipfis *focus* locufve, in quo refidet ignis. Hinc aliae corporis partes iifdem defignatae nominibus, quibus chymica inftrumenta defignantur. Hac vero fimilitudine conftituta, oportebat vel alt... ra fequeretur, quae eft inter effectus mineralium fubftantiarum in ipfis fornacibus obfervatos, & ea, quae in humano corpore earumdem fubftantiarum ope contingunt.

Analogia falfa Aftronomorum. Caeleftes cartefianae philofophiae vortices undenam orti profectique, nifi ab analogia vorticum, quae in tellure noftra obfervantur? Undenam praegrandis ftatura Jovis incolis a Wolfio deridiculo tributa calculo, nifi ex iis, quae per analogiam de telluris noftrae hominibus ipfe cognorat? Idem de atmofphaeris intelligite, quae omnibus planetis tributae funt a nonnullis, etfi non aeque convenire omnibus conftet. Vera ani-

mantia solem, lunam, stellas omniaque, quae in caelo sunt, non minus appellanda quam esse Robinetus ait. Quidnam majus excogitari analogiae deliramentum potest?

Analogia falsa Physicorum. Brutorum operationes sola maechanismi ope per Cartesianos explicatae, exemplo ab artificialibus machinis ducto, veriorique spreta analogia, quae inter sensus nostros nostrasque operationes, & sensus operationesque Brutorum intercedit. Prima corporum elementa illius figurae constituta, quae nunc ad motum, nunc ad quietem ea comparata exhiberet, ducta a corporibus, quae sub oculis cadunt, similitudine. Universalis supra tellurem gravitas aequa lance in omnibus admissa locis regionibusque; cum interim minor ea ad aequatorem, major sit ad polos agnoscenda.

Analogia falsa Medicorum. Genericis in medendi arte constitutis principiis, nulla habita ratione climatum, aetatis, temperamentorum aliarumque rerum, quae a prudenti Medico observari deberent, salutaris ut plurimum ars exercetur. Quod in ahenis materiei diminutione aestuantes aquae a calore temperentur, putatum Vanelmontio, sanguinis emissionem in febribus necessariam & opportunam esse. Et id jure quidem aliquando constitutum.

At

At vero idem principium ad febres universas indiscriminatim translatum Medicos sanguinatios, eosque truculentos reddit.

Analogia falsa Theologorum. Quae Theologia a divina revelatione ducitur, ea immunis ab analogiae erroribus. Quae autem humana ratione fulcitur, ea ut plurimum analogiae deliramentis scatet. Hinc nihil de Deo ejusque attributis constitutum, nisi quod nostris ideis nostrisque cogitandi rationibus respondet. Hinc apud Gentes humana omnia ad Deum relata. Hinc mysteriorum a Baylio, Volterio, aliisque incredulis facta confutatio.

Monitum.

Veram falsamque analogiam latius explicarunt Lewisius in supplemento, Antonius Genuensis, Bonnetus cum Spalanzano, Buffonius, Dalhamus aliique. Sed de analogia attributorum Dei legendi Tillotzonius, Collinsius, & Kingius, qui de ea inter se disputarunt.

CAPUT VII.

De vario genere uſuque hypotheſium.

CUM analogiae doctrina nimis conjuncta ratio hypotheſium eſt. Sunt autem hypotheſes arbitrariae quedam poſitiones ad ignotam veritatem explicandam adinventae. Hoc genere principiorum uſi ſunt Carteſius in Coſmogonia, Malebranchius, & Leibnitius in corporis animique ſocietate ſtatuenda, aliique paſſim. Sed hypotheſium natura duplex. Sunt enim aliae, quae ad theſim reduci poſſunt, eoque ſine a philoſophis excogitantur, aliae, quae reduci ad theſim nequeunt.

§. I.

De hypotheſibus, quae ad theſim reduci commode poſſunt.

Tutior harum hypotheſium doctrina uberrime a Condillacco eſt explicata. Itaque per eum duae omnino, nec plures, nec pauciores verae hypotheſeos conditiones ſunt. Prima eſt, ut certi ſimus de praefinito poſſibilium numero, nec dubitari umquam poſſit, an alia poſſibilia dentur ſy-

ſte-

stemata; quippe omnia fuerint cogitatione compraehensa. Secunda est, ut in ipsa hypothesis electione tutum quoddam criterium appareat, unde nobis merita hypothesis praeferendae innotescant.

Constabit id exemplis Mathematicorum. Et quoniam simplicior mathematicae pars Arithmetica est, ab ea exemplum ad theoriae explicationem ducam. Ponamus, dividendum numerum 12. per numerum 4. Jam omnes, uti dicunt, possibiles quoti facillime intelliguntur. Vel enim numerus quaternarius plus minusve quam tricies, vel tricies praecise in duodenario continetur. Quoniam vero inconcussa proportionum regula est, ut ad exactam partitionem divisor sit ad dividendum, quemadmodum ad quotientem est unitas; hinc clara supputatione compraehenditur, solummodo tricies quaternarium in duodenario numero contineri.

Idem in geometricis evenit, idem in analyticis. Namque cum Geometrae, tum Analytici in promptu habent, quas enumeavimus, conditiones. Et ad Geometras quod ttinet, ubi alicujus rei cum altera compa:tionem instituunt, perfacile iis, earumdem ve aequalitatem, sive inaequalitatem infer-. Nota enim possibilia omnia, notumque terium hypothesis praeferendae. Ubi vero

Analyticis folvendum problema eſt, primum quid in eo cognitum, quidve incognitum, quaſque illud conditiones habeat, ſerio meditantur. Hinc efformata aequatione, debitiſque operationibus in eadem inſtitutis, quod principio incognitum illis erat, meridiana luce clarius apparet.

Hoc primum hypotheſium genus in analytici ratiocinii principiis conſtituendis utile ac neceſſarium eſt. Eo enim abſque ullo erroris periculo affulget veritas, eoque uti volentibus uberrimus expectandus ad inventionem fructus. Fatendum tamen extra mathematicas diſciplinas perraro duabus hiſce conditionibus locum eſſe. Hinc ſi liceat in perquirenda veritate hypotheſes condere, (quod non modo licet, ſed expedit, commendaturque) illud meminerimus, ſola obſervatione ſoliſque experimentis confirmandam hypotheſium veritatem. Atque hunc in modum hypotheſes reducuntur ad theſim.

§. II.

De Hypotheſibus, quae ad theſim reduci minime poſſunt.

Quae hypotheſes aliam rationem habent, quam quae ſuperius deſcripta a nobis eſt, eae ad theſim reduci nequeunt, di-

dicunturque Poetarum somnia ac deliramenta, indigna prorsus gravitate sapientum. Harum descriptio duplex. Aut enim sunt cum sola vacuitate conjunctae & inutiles appellantur, aut inanitati damnum addunt atque perniciem, & ob id perniciosae dicuntur esse.

Exempla primi generis in Physica, Maechanica, Astronomia, Chymica, Botanica aliisque naturalibus ac theoreticis facultatibus habes. Huc enim reducuntur, quae de putrida animantium origine Scholastici, de corporum elementis Leibnitiani, de germine indestructibili Bonnetus, aliique de aliis somniarunt. Sunt ea romanensium fabularum in morem excogitata, sibique proinde eam assensionem laudemque promerentur, quae debetur fatuitatibus atque deliriis.

Quod vero attinet ad perniciosas hypotheses, eas tibi offert minus aliquando sapiens turba Medicorum, ipsaque hominum ratione adversus religionem abutentium multitudo. In quo illud meminisse iuvat, non systematibus non hypothesibus valetudinem procurari, sed observationibus experimentisque. Unde hoc genere principiorum nata ars salutaris mirum modum ad utilitatem aucta & amplificata est.

De religione autem haec probe tenenda sunt. Non est religio quasi disciplina quaedam, in qua fieri propriis ideis inventa possint. Quae nobis credenda proponuntur, ea solo continentur lumine revelationis. Hinc consulenda Scriptura, hinc perpendenda Traditio est, nisi penitus ad pernicem insanire velimus. Ecclesia divinorum eloquiorum non humana ratio interpres. Quidquid praeterea revelatis rebus adjungitur, flagitii non minus quam aeffrenatae superbiae argumentum est.

Haec igitur principia, sive inutilia sint, sive etiam perniciosa, atque haec magis quam illa, prudens Philosophus vitabit ad inventionem.

Monitum.

De hypothesibus legendi Condillaccus, s' Gravesandius, De Soria, aliique.

PARS II.

De principiis ratiocinii synthetici.

DAbunt nobis veniam viri caeteroquin praestantissimi, si minus hac in re cum iisdem consentire videamur. Synthetici ratiocinii principia ad aliorum institu-

tio-

tionem facta, & quodammodo comparata videntur. Jam vero in praeclaro Institutore ad veritatem demonstrandam haec sunt necessaria. 1. Rectus usus vocabulorum. 2. Propositionum. 3. Definitionum. 4. Divisionum. 5. Axiomatum. 6. Veritatum, quae sint legittima consectaria observationum & experimentorum 7. In hisce omnibus exponendis debitus ordo.

CAPUT I.

De vocabulis.

AD rectum vocabulorum usum scire oportet. 1. Quid ea sint. 2. Quotuplicia sint. 3. Quo cautionum genere usurpanda.

§. I.

Quid sint vocabula.

Sunt vocabula signa quaedam cogitationum animi, articulatis linguae motibus edita, hominumque arbitratu & conventione significantia. Ex observationibus Ferrein, quae leguntur in Monumentis Academiae Parisiensis ad annum 1741., praecipuum humanae vocis organum in fibris la-

labiorum glottidis, quae *chordae vocales* appellantur, constituendum est.

Hoc igitur organo praediti homines vocabula emittunt tamquam signa idearum, rati solis naturae vocibus, quae risu, lacrymis, interjectionibus dolentis, vel gaudentis, mutationibus vultus, gestibus, aliisque continentur, haud posse inter se invicem communicare universa.

Qui sapiunt vocabulorum originem a solo Deo conditore repetendam putant. Qui vero cum Epicureis insaniunt, eam vel a natura, vel ab utilitate ducunt auspicandam. Illud certe in delirantium philosophorum systemate difficile definitu est, priusne sermonis, an societatis inventionem admiseris, quod vel Roussojo paradoxum apparuit. De hac re legendi Condillaceus, Maupertuisius, Herderus, Castilioneus, aliique.

§. II.

Quotuplicia sint vocabula.

Multiplex vocabulorum genus est. Alia enim clara, alia obscura; alia simplicia, alia composita; alia absoluta, alia relativa; alia propria, alia metaphorica; alia abstracta, alia concreta; alia commu-

nia,

nia, alia technica; alia generica, alia specifica; alia particularia, alia singularia dicuntur. Quae facile intelliguntur, ea *clara* vocabula sunt; quae vero secus, ea *obscura* appellantur. Vocabula Geometrarum sunt clara, Alchymistarum perobscura.

Simplicia dicuntur, quae simplices ideas repraesentant. At quae plurium idearum significationem exhibent, ea *composita* dici solent. Ad haec reduci commode possunt *aequivoca*, quorum una vox est, multiplex autem significatio. Vocabulum *lineae*, *doloris*, *voluptatisque* simplex. Vocabulum *corporis*, *plantae*, *animantis* de se compositum, atque una simul aequivocum. Aequivocis vocabulis Gentium oracula referta sunt.

Absoluta vocabula dicunt Dialectici, quorum interpretatio absque ulla ad alterum relatione facienda. Quae vero nonnisi cum relatione interpretanda, ea *relativa* appellantur. Vocabulum *Dei hominisque* absolutum dici potest. Vocabulum *Conditoris* & *Parentis* relativum dici debet. Pleraque vocabula sunt relativa.

Vocabula *propria* proprium, naturamque sensum exhibent. At quae vocabula impropriam & quodammodo adscitiam habent significationem, ea *Metaphorica* dici consuerunt. Vocabulum *risus* in

ho-

homine proprium, in pratis metaphoricum. Orientalium Poetarumque vocabula ut plurimum metaphorica.

Abstracta vocabula veluti sejuncta repraesentant, quae in natura sunt copulata. *Concreta* autem res ipsas ab eadem natura constitutas exhibent. Vocabulum *electricitatis* abstractum, vocabulum *electricum* concretum dicitur. Vocabulorum primi generis immoderatum abusum fecere Scholastici. De recto eorumdem usu videte Geometras.

Quae ab omnibus usurpantur, ea *Communia* dicuntur vocabula. Quae alicujus sive artis, sive disciplinae sunt propria, ea *technica* nuncupantur. Vocabulum *ignis* commune est, vocabulum *phlogisti* technicum, peculiare, nimirum, artis Chymicae. Frequentissimus apud Medicos technicorum vocabulorum usus, quem fortasse abusum jure dixeris.

Vocabula *generica* sunt, quae rebus aptantur diversae rationis naturaeque significandis. *Specifica* appellantur, quae rebus eamdem naturam rationemque praeseferentibus tribuuntur. Vocabula *corporis*, *plantae*, *animantis* sunt generica. Vocabula *hominis*, *equi*, *leonis* &c. specifica. Aeque generica ac specifica vocabula universalia dici solent. De his in

quin-

quinque classes Porphyrii opera distributis magno apparatu, iufructuose tamen veteres disseruere.

Tandem *particularia* rem unam indeterminate significant. Quaeque rem unam determinate exhibent, ea singularia nominantur. Vocabulum *Philosophi Americani* particulare, alterum *Francklini* singulare est.

§. III.

Quo cautionum genere usurpanda vocabula.

Claris, simplicibus, propriisque vocabulis exponenda veritas. Quod si occurrant obscura, ea aptis definitionibus, de quibus infra, explicanda sunt. Composita per idearum analysim resolvenda, idemque faciendum in aequivocis. Vitanda, quoad fieri potest, metaphorica. Unum illudque eximium ante oculos perpetuo habendum Geometrarum exemplum.

Hinc in omni argumenti genere ad aliorum praeceptionem, non turgida ratione dicendi, sed aequabili ac temperata utendum, quam proprio nomine *didascalicum stylum* appellant. Ejus exemplar videsis in aureo Tullii opere: *De officiis*. A re-

relativis cavere nemo poteſt. Sed in his accurate quotquot ſunt rationes omnes diſtinguendae, putandumque vel iis, quae abſoluta videntur eſſe, innumeras relationes compraehendi. *Philoſophiae* nomen abſolutum eſſe credimus. Interim vero ſi illud recte interpretemur, relativum omnino eſt. Namque apud Haebreos ſapientiam *traditionariam*, apud Graecos *ſyſtematicam*, apud Scholaſticos *chymericam*, apud Carteſianos *hypotheticam*, apud Galilejanos, & Newtonianos *veram* ſapientiam proprie ſignificat.

In abſtractis probe noſcendum, quid humanae mentis, quid naturae ſit opus: nihilque huic dandum, quod ſibi altera jure flagitet. Ut plurimum abſtracta pro concretis habita. Hinc *realizandi* vitium conſecutum eſt, quod Scholaſticorum diuturna conſuetudine roboratum vidimus.

Technicorum moderatus uſus laudabilis. Immoderatus haud vitio caret. Sed ubi technicis utimur, ea clare ſunt explicanda.

Tandem in genericis atque ſpecificis videndum, num exacte ſint conſtituta genera, num rerum ſpecies rebus ipſis accurate reſpondeant. Et quoniam genera & ſpecies abſtractione fiunt, recolendum eſt, ea mentis non naturae opus eſſe. Unde

vel

vel hac in parte a *realizatione* cavendum.

Monitum.

De vocabulis eorumque imperfectione, usu, abusuque legendi Lockius, Condillaccus, Clericus, Dhalamus, Genuensis, aliique.

CAPUT II.

De propositionibus.

Ex vocabulis propositiones fiunt. Vel in his ad rectum usum nosse juverit. 1. Quid sint. 2. Quotuplices sint. 3. Quibus legibus atque canonibus interpretandae.

§. I.

Quid sint propositiones?

Propositio est vocabulorum nexus, quo unum de altero affirmamus negamusve. Ea judicium verbis expressum dicit solet, nec immerito. Tria in quavis propositione sunt accurate distinguenda: *subjectum* nempe, *praedicatum*, & *copula*.

Sub-

Subjectum eſt vocabulum illud, cui quidpiam tribuitur aut negatur. *Praedicatum* ſeu attributum eſt vocabulum alterum, quod de ſubjecto affirmamus aut negamus. *Copula* eſt verbum, quod utrumque vocabulum nectit. Cum dico: *Andreas Caeſalpinus eſt inventor circulationis ſanguinis*: propoſitionem efformo, in qua ſubjectum eſt *Andreas Caeſalpinus*, attributum ſunt voces illae *inventor circulationis ſanguinis*, verbum vero ſubſtantivum *eſt* copula dicitur.

Ubi in propoſitionibus tria haec clare non inſint, ſubintelliguntur, inque ea reſolvi quaelibet propoſitio quamfacillime poteſt. Ita illud Tullii: *abiit, exceſſit, evaſit, erupit* in quatuor has propoſitiones ſolvitur: *Catilina fuit abiens, fuit excedens, fuit evadens, fuit erumpens*.

§. II.

Quotuplices ſint propoſitiones?

Propoſitiones quinque ex adſpectibus conſiderari poſſunt. 1. Ex parte *formae*. 2. Ex parte *materiae*. 3. Ex parte *quantitatis*. 4. Ex parte *qualitatis*. 5. Ex parte *oppoſitionis*.

I. *Ex parte formae*. Propoſitionis forma ipſam repraeſentat ſubjectorum cum prae-

praedicatis conjunctionem. Hinc in tot species dividentur propositiones ex parte formae, in quot eadem dividi conjunctio potest. Patet autem, conjunctionem omnem aut *necessariam*, aut *fortuitam*, aut *possibilem*, aut *impossibilem* esse.

Propositio *necessaria* est, in qua praedicatum necessario jungitur cum subjecto. Ita haec: *circulus est figura rotunda*. *Fortuita*, cujus termini fortuito cohaerent. Ita haec: *circulus circumscripta quadrato figura est*. *Possibilis*, in qua termini minime pugnant uniri. Ita haec: *circulus proxime quadratur*. *Impossibilis*, cujus inter se termini pugnant. Ita haec: *circulus exacte quadratur*.

II *Ex parte materiae*. Propositionum materia ex Scholae usu sunt termini, ex quibus illa constat. Jam vero hi nunc simplices, nunc complexi, nunc compositi dicuntur esse; unde propositio aut *simplex*, aut *complexa*, aut *composita est*.

Simplex dicitur, quae unum solummodo subjectum, unumque habet praedicatum. Ita haec: *Salvinus Armati perspicillorum inventor fuit*. *Complexa* ex una principali, alterave incidente constat. Ita haec: *Pytthagoras, qui quadragesimae septimae propositionis Euclideae fuit inventor, metempsychosim admisit*.

Com-

Composita vocatur, quae ex pluribus subjectis, pluribusve praedicatis cohalescit. Ita haec: *cum Keplerus, tum Galilaeus, tum Cartesius, aliique Newtoni saeculum praepararunt*: ex parte subjecti composita est.

Incidentium propositionum duo sunt genera. Aliae enim *explicativae*, aliae *restrictivae* dicuntur. Primae sunt, quae potius ad ornamentum & eruditionem, quam ad necessitatem apponuntur. Ita in hac propositione: *Tullius, qui non contemnendus poeta fuit, latinorum dicitur oratorum princeps*: incidens est mere explicativa. Aliae vero subjectum aut praedicatum coercent. Ita in hac propositione: *Graecus ille philosophus, qui disciplinas ferme omnes in elaboratum systema retulit, fuit Alexandri Magni institutor*: incidens est restrictiva.

Omnis propositionum compositio aut *perspicua* & *clara*, aut *latens* atque *recondita* appellatur. Ad primum genus reducuntur: *copulativae, disjuntivae, hypotheticae, causales, discretae, relativae*. Ad alterum *exclusivae, exceptivae, comparativae, incaeptivae, desitivae*. De singulis quambrevissime.

Copulativae sunt, quarum membra cohaerent per particulas copulativas. Ita haec: *Et Newtonus & Leibnitius ad infinitesimalis calculi inventionem laborarunt*.

Dis-

Disjunctivae, quarum membra per particulas disjunctivas fecernuntur. Ita haec: *Praeclara Cartesii merita aut adplicatione analyseos ad Geometriam, aut excusso Aristotelicae servitutis jugo continentur.*

Hypotheticae, seu *conditionales* sunt, quarum partes conditionali uniuntur. Ita haec: *Si Adjunctus noster diutius vixisset, majorem sibi, academiae nostrae, patriaeque gloriam comparasset.*

Causales dicuntur, quarum una pars continet rationem alterius sufficientem. Ita haec: *Quod philosophica de rebus ad caelum pertinentibus usus esset in alios censura Galilaeus, ideo theologica de telluris motu propugnato ipse quoque ab aliis inustus est.*

Discretae sunt, quae duo penitus diversa judicia complectuntur, quorum unum affirmativum est, negativum alterum. Ita haec celeberrimi epithafii: *Jacent hic vir & uxor, nec tamen litigant.*

Relativae vocantur, quarum una pars refertur ad alteram. Ita haec: *Quae temperamenti, eadem & morum ratio est.* Atque haec de compositis perspicua & clara compositione. Nunc de reliquis.

Exclusivae aliquid semper aut ex parte subjecti, aut ex parte praedicati excludunt. Ita haec: *Sola horologia pendulis instructa exactam temporis mensuram exhibent.*

Exce-

Exceptivae aliqua femper cum exceptione aut affirmant aut negant. Ita haec: *Dempto horrore vacui nullo Scholarum officiebatur praejudicio Galilaeus nofter.*

Comparativae appellantur, in quibus aliqua fit comparatio. Ita haec: *doctior Rhedio fuit Bellinus, haud tamen in medendo fortunatior.*

Incaeptivas vocant, quae alicujus rei initium referunt. Quae vero finem defcribunt, eafdem nominant *defitivas*. Ita haec: *Haebrei in Babilonica captivitate Graecorum more philofophari caeperunt:* inceptiva. Haec autem altera: *Adveniente Chrifto nonnulla gentium oracula conticuere:* defitiva *eft*.

III. *Ex parte quantitatis*. Propofitionis quantitas a fubjecti pendet extenfione. Itaque fub hac ratione aliae funt *indefinitae*, aliae *univerfales*, aliae *particulares*, aliae *fingulares*.

Indefinitae funt, quarum fubjectum nullo figno afficitur. Hoc genus propofitionum, fi fit in materia neceffaria, aequivalet univerfalibus; fin vero fit in materia fortuita, particularibus equivalet. En exempla: Haec propofitio: *corpus eft extenfum* huic aequivalet: *Omne corpus eft extenfum*. Haec vero altera pariter indefinita: *corpus eft diaphnum:* huic refpon-

dct:

det: *aliquod corpus est diaphnum*. Quippe illa necessaria, haec fortuita est.

Universales dicuntur, quarum subjectum signo universali afficitur. Ita: *Omne, quod cogitat, inextensum est*. Universalitas alia *metaphisica*, alia *moralis*. In prima nulla fit exceptio. Ita: *omnis homo est mortalis*. In altera aliqua semper exceptio fit. Ita: *Non est qui faciat bonum non est usque ad unum*: ex Psalmista.

Particulares, quarum subjectum particulare est. Ita: *Quaedam disciplinae usu magis, quam studio praeceptisque discuntur*. Tandem *Singulares*, quarum subjectum unum est ac determinatum. Ita: *Seneca Stoicorum secutus est moralem disciplinam*.

IV. *Ex parte qualitatis*. Propositio est *affirmativa*, si praedicatum de subjecto affirmet; *negativa* est, si illud neget; item est *vera*, si quod affirmandum, negandumve est, id affirmet, negetve. Secus, *falsa* appellatur. Res per se patet.

V. *Ex parte oppositionis*. Oppositio est pugna duarum propositionum idem subjectum ac praedicatum habentium. Ea quadruplex apud Scholasticos: nimirum, *subalterna*, *subcontraria*, *contraria*, *contradictoria*. Dempta contradictoria, caeterae nullius sunt usus in politiori Dialectica. Hanc itaque explicabimus.

Contradictorias dicunt, quae non solum in quantitate, sed etiam in qualitate opponuntur. Ita hae propositiones: *Omne corpus est divisibile: Aliquod corpus non est divisibile:* contradictoriae sunt. Usitatius tamen contradictoriae nomine intelligimus quamcumque oppositionem, quae ex parte solius qualitatis fit, dummodo caetera omnia in utraque propositione sint eadem. Ita hae propositiones sunt vere contradictoriae: *Aurea Cornelii scribendi ratio est: Incompta atque inelegans Cornelii est ratio scribendi.*

§. III.

Quibus legibus atque canonibus propositiones interpretandae?

Interpretandarum propositionum leges ad has reducuntur.

Lex I. *A falsis incidentibus, quae restrictivae vocantur, accuratius quoad potest, cavendum. Earum namque falsitas in principalium falsitatem influit. Secus de explicativis disserendum est.*

Lex. II. *Si una tantum copulativae pars sit falsa, falsam ex integro copulativam habeto Ea enim conjunctionis ratio est, ut individuam propositionem reddat.*

Lex

Lex III. *In disjunctivis aeque partium accuratam enumerationem ac pugnam quaerito. Si enim aliter facias, aut falsitatis incusaberis, aut deridiculum te exhibueris.*

Lex IV. *In hypotheticis de antecedentium & consequentium veritate haud esto sollicitus. Veram potius cognationem partium investigaminor. Ab ea enim pendet illarum veritas.*

Lex V. *In causalibus sufficientem rationem ad examen revocato. Ubi haec vera, causalis quoque vera; ubi eadem falsa, causalis quoque falsa est.*

Lex VI. *Exclusivarum difficillima interpretatio. Si exclusio sit ex parte subjecti, reliqua omnia subjecta exacte dignoscenda; sin vero ea ex parte praedicati sit, adaequate percipienda essentia subjecti est. Idem de exceptivis intelligito.*

Lex VII. *Ad distinguendum inter metaphisicam, & moralem universalitatem cum ad mentem proferentis, tum ad naturam enunciationis confugito. Utrisque enim verae propositionis dimetitur extensio.*

Lex VIII. *Contradictoriarum una solum semper vera, altera falsa. Hinc ab unius veritate ad falsitatem alterius, atque etiam secus legitime argumentaberis.*

Monitum.

Plura cupientibus adeundi Lockius, Arnaldus, Facciolatus, Genuensis, & si qui sunt alii.

CAPUT III.

De definitionibus.

DEfinitio clara dicitur sive nominis sive rei per nomen intellectae explicatio. Ea itaque ad tollendam obscuritatem est comparata, de qua tria potissimum quaeri solent scitu dignissima. 1. Quid sit definitio nominis. 2. Quid sit definitio rei. 3. Quaenam sint a Philosophis in utraque servandae leges.

§. I.

Quid sit definitio nominis?

Definitio nominis, quam significationem usurpato vocabulo tribuamus, exponit. Ea Platonicum inventum est, non ad omnium vocabulorum usum opportuna, sed ad obscura tantum aequivoca minus usitata, in primisque technica vocabula reservata.

Prae-

Praeclariffimus eft hujufce praefidii ufus apud Geometras. Utinam in omne difciplinae genus inveheretur. Multa enim funt vocabula, quae nifi clara definitione explicentur, nos in turpem *Logomachiam* inducunt. Talia funt prae caeteris vocabula *materiei*, *fpatii*, *infiniti*, *amoris proprii*, *luxus*, *animae*, *fenfus*, *fenfationis &c.*

De fenfuum deceptionibus a Sexto Empirico ad haec usque tempora acriter difputatum. Quis crederet, celeberrimam difputationem ad nominis controverfiam reduci commode poffe? Sed ita profecto eft, unoque difcrimine, quod inter caufam *effectricem* & *occafionalem* reperitur, omnis haec quaeftio dirimitur.

Quanta ingeniorum contentione apud veteres Dialecticos non fuit de fubjecto facultatis noftrae quaefitum? Alter ftabat pro ratiocinio; alter pro rationis, quod dixerunt, *ente* pugnabat. Hic pro Syllogifmo; ille pro tribus operationibus mentis acerrime difputabat. Explica te quaefo: caufa finita eft.

Quid de animorum libertate dicam? De ea in utramque partem certatum uberrime, & quidem maximo non philofophiae folum, fed religionis etiam detrimento. Interea vero quis neget ingenitam animis libertatem? Nimirum, aut qui demens eft,

aut qui ipsa nominis definitione abuti velit.

§. III.

Quid sit definitio rei?

Definitio rei est enarratio idearum simplicium, ex quibus definienda idea constat. Quaevis idea de se simplex, cum de se simplex sit advertentis animi perceptio. Objecta vero, quae per ideas repraesentantur, plerumque composita: Hinc in omnes illa solvenda partes, quas simplices ideas appellant.

Jam vero simplices hujusmodi ideae in omni re ab attributis & proprietatibus pendent. Explicanda igitur in omni definitione rei attributa & proprietates, quas notas habemus perspectasque. Attributorum sunt alia generica; alia differentialia. Primis, quam cognationem habeant res cum finitimis, intelligimus. Postremis autem, quid inter eas discriminis insit, comprehendimus.

In rerum definitionibus exponendis utroque utimur genere attributorum. Hinc recte phisicum corpus definimus: *Rem extensam impenetrabilem figuratam divisibilem inertem* &c. Hinc recte etiam definita

 mens

mens est: *Substantia cogitans, aversionum appetitionumque capax, regendo corpori accomodata*. Hinc denique Deum ipsum accuratius, quoad potest, definimus: *Ens perfectissimum, omnium conditorem, conservatoremque* &c. Ex quibus satis constat, quam falso putatum ab nonnullis fuerit, rerum definitiones fieri, cum earumdem naturam explicamus. Namque naturae rerum ignotae sunt nobis, deque iis nullo pacto inveniri excogitarive definitiones possunt. Quod more suo sapientissime Alambertus observavit.

§. III.

Quaenam sint in utraque definitione a Philosophis servandae leges?

Quae duo explicavimus genera definitionum, ea proprias habent leges, quibus reguntur ac substinentur. A nominum definitionibus ordiemur.

Lex I. *Quoniam vocabula omnia arbitratu sunt hominum adinventa, hinc eorumdem definitio libera, placitisque aptata Philosophorum.*

Lex II. *Hinc tibi nova excogitare vocabula datum concessumque.*

Lex III. *Nemini litem de tradita nominum definitione moveas; quin potius eam tamquam indubitatum axioma reputato.*

Lex IV. *Caveto tamen, ne a nominum definitione ad rei ipsius definitae propritates argumenteris.* In hoc vitii genus perpetuo Spinoza incidit.

Lex V. *Quemadmodum si sapiens es, ut plurimum definitiones nominum magis usitatas, magisque usitata vocabula adhibeto. Si aliter feceris, non ad utilitatem necessitatemque, sed ad novitatis cacoetem fecisse videberis.*

Nunc de legibus definitionum rei.

Lex I. *Ideae simplices definiri haud debent, quia nequeunt. Nihil enim per se ipsum definitur.*

Lex II. *Quaelibet definitio sit clarior faciliorque intellectu re definita.* Adversus hanc legem peccavit quamsaepissime Aristoteles.

Lex III. *Quaelibet definitio sit propria rei definitae,* ideft, *nulli alteri, dempta re definita, conveniat.* Hinc Platonica hominis definitio vitiosa.

Lex IV. *Quaelibet definitio sit adaequata,* idest, *omnibus rei definitae partibus aptetur.*

Ma-

Monitum.

De nominum rerumque definitionibus copiosissime tractarunt Lockius, Arnaldus, Clericus, Alambertus, aliique innumeri.

CAPUT IV.

De divisionibus.

PHilosopho ad synthetici ratiocinii principia statuenda properanti non minus definitio, quam divisio utilis ac necessaria. Instituti igitur ratio postulat, ut ad rectum quoque hujusce praesidii usum quaeramus. 1. Quid illud sit. 2. Quotuplex sit. 3. Quibus legibus absolvendum.

§. I.

Quid sit divisio?

Ea est humani ingenii imbecillitas, ut in multiplici subjecto, circa quod philosophando versatur, ad cogitationis vim augendam necessario uti partitione debeat. Facilius enim, quae invicem sejuncta sunt, quam quae copulata intelligimus.

Est itaque divisio totius in partes, ex quibus constat, distributio, Hinc in di-

visione Chymicorum spectanda ratio, ipsumque subjectum, quod multiplex est, in sua veluti sensibiliora elementa resolvendum.

Mirum quam accuratae sint Geometrarum partitiones. Nulla enim est geometrico in corpore dimensio, nulla ejusdem dimensionis ratio, quae ab hisce sapientibus non sit luculenter exposita. En itaque alterum perfectae divisionis exemplar, quod ante oculos versari perpetuo debet.

§. II.

Quotuplex sit divisio?

Divisionum genera totius dividendi rationem sequuntur. Hinc quemadmodum duplex est totum, ita duo in primis sunt genera divisionum. Est quidem *totum*, quod partibus *realiter* distinctis constat, quae *integrantes* appellantur. Est quoque *totum* apud latinos *omne* dictum, cujus partes *subjectivae* partes, aut *inferiora* appellantur.

Si primi totius divisio fiat, ea proprio nomine *physica*, sin vero alterius *metaphysica* vocabitur. Divisio hominis *in corpus, & animam* phisica. Divisio animantis *in rationale & irrationale* metaphisica. Prima *partitionis*, altera *divisionis* nomen retinet.

Prae-

Praeter haec ſuprema diviſionum genera, ſunt alia quatuor, de quibus breviſſime diſſerendum.

Principio enim genus dividitur in ſpecies. Ita animal *in hominem, & brutum* tamquam in ſpecies ſuas dividitur.

II. Genus dividitur in differentias. Ita: corpus *aut opacum eſt, aut diaphnum*.

III. Subjectum dividitur in ea, quorum capax eſt, accidentia. Ita homo *vel doctus, vel indoctus, vel medium inter utrumque, nempe, ſciolus*.

IV. Accidens dividitur in varia ſubjecta. Ita bona omnia *vel corporis ſunt, animive*.

§. III.

Quibus legibus abſolvenda diviſio?

Sex ſunt praecipuae optimae diviſionis leges.

Lex I. *Cura, ut in omni diviſione totum, quod tibi dividendum proponis, exhauſias*.

Lex II. *Fac, ut diviſionis membra quamdam veluti oppoſitionem ſervent inter ſe*.

Lex III. *Cave, ne unum membrum ita includatur in altero, ut alterum de altero queat affirmari*. Hujuſmodi lex ſuperioris conſectarium eſt,

Lex IV. *Divisionis membra nec plura, nec pauciora sint, quam oportet ad perspicuitatem. In omnibus autem subjecti naturam sequere.*

Lex V. *Vide, ne vocabula dividas, dum rem ipsam assumis dividendam.*

Lex VI. *Senecae illud recolito: simile confuso esse quidquid usque in pulverem sectum est.*

Monitum.

De divisione consulendi Arnaldus in primis, Clericus, caeterique Dialectici.

CAPUT V.

De axiomatibus.

PRopositiones quaedam genericae evidentiam non demonstrationis, sed simplicis, uti dicunt, *intuitionis* habentes axiomata vulgo appellantur. Ita hae propositiones: *Omne totum sua parte majus est: Quae sunt eadem uni tertio, ea sunt eadem inter se: Si ab aequalibus aequalia demas, ea quae remanent aequalia sunt*: axiomata dicuntur esse. De his 1. Originem. 2. Abusum. 3. Legitimum usum exponemus.

§. I.

§. I.

De origine axiomatum.

Cum ideis ſimplicibus omnia conſtent axiomata, dubitandum nemini, quin eadem illorum atque idearum ſimplicium origo ſit. Jam vero ideae, quae dicuntur ſimplices, ut plurimum abſtractioni debentur. Itaque abſtractioni etiam erunt axiomata tribuenda.

Patet autem, quae abſtractioni debent originem, ea meditationis ac diuturnae reflexionis opus eſſe, quaeque ſunt hujuſmodi, ea minime ingenita poſſe appellari. Igitur falſa Carteſianorum ſententia putantium, inter ingenitas cognitiones axiomata eſſe recenſenda.

Praeterea quae dicuntur abſtracta, ea a concretis derivantur, praeſeferuntque antecedentem notitiam ſenſibilium. Ergo multa vel ante axiomatum cognitionem adquiruntur a nobis, multa diſcuntur, quae certa nobis ſunt atque explorata, etſi in ſumma axiomatum ignoratione verſemur.

Hinc item falſa Philoſophorum opinio de axiomatibus, quae ſint reliquarum fundamenta veritatum. Falſum, ea inventis locupletandis faciendiſque inſervire. Falſum denique, ea conferre augmentis diſciplinarum.

§. II.

§. II.

De abusu axiomatum.

Male per aliquos constituta axiomatum ratione, vel illud necessario sequi debuerat, ut in abusum ea facillime verterentur. Hinc axiomatibus referta omnia, plenique veterum Phisicorum, Medicorum, uno verbo omnium axiomatibus libri. Hinc putatum, licere nemini adversus axiomata opinari, quique ea pernegasset, illi solo helleboro opus esse.

Scholarum axiomata partim *falsa*, partim, ut Alambertus habet, *illusoria*. *Falsa* quidem, vel quia in plurimis naturae opus constituunt, quod solius est mentis opus; vel quia solis systematibus adstruendis inserviunt, & ad illorum sunt excogitata patrocinium. Quid enim sibi vult Metaphisicorum illud: *Simplex existentia modalem existentiam praecedit?* Quid alterum Moralistarum: *Qui probabiliter agit, prudenter agit?*

Sunt etiam *illusoria*. Primum enim vera axiomata ad identicas propositiones reducuntur. Idem enim significat, *duo & tria faciunt quinque*, ac *duo & tria faciunt duo & tria*. Deinde sunt etiam axioma-

tum

tum pleraque incerta dubia equivoca. Tale illud: *Effectus suis respective causis proportionantur:* Tale alterum: *Volenti & consentienti nulla fit injuria.*

Sed nemo fuit in axiomatibus intemperantior Wolfio. Is enim quae vera axiomata dici possunt, simplicesque proinde ideas repraesentant, Matheseos initio accuratis, si Superis placet, probationibus communivit. Hinc putavit, demonstratione indigere illud: *Omne totum sua parte majus est.*: demonstratione, inquam, quae a solo Wolfio intelligitur, quaeque obscurior ipsa re demonstrata, (si tamen in eadem re obscuritas insit) dici jure meritoque potest.

§. III.

De legitimo axiomatum usu.

Tres habent praecipuos usus vera axiomata. Primus ab Alamberto exponitur, duo reliqui describuntur a Lockio. Atque Alamberti sententia, axiomatibus ideae simplices familiares quodammodo fiunt, earumque veritas quasi inveterata consuetudine roboratur.

Ex Lockio autem synthetice differendo inserviunt, suntque proinde ad verita-

tem

tem demonstrandam ineluctabilia fundamenta. Hinc a Geometris frequentissime usurpata. Hinc in vulgari receptaque apud omnes tradendarum disciplinarum methodo ab universis ferme adhibita philosophantibus.

Deinde illa in contentionibus ac disputationibus locum habent, quippe nugis finem imponunt. Dum enim cum pervicacibus & refractariis agimus, praeclare fit, si ea illis veritatum evidentia opponatur, cui, ni penitus caecutiant, refragari haud possunt.

Cavendum tamen, ne in hisce usibus ad ea axiomata confugiamus, quae aut sunt systematica, aut penitus falsa, aut saltem dubia & incerta, indigna proinde gravitate sapientum.

Monitum.

De axiomatibus multa habent Lockius, Condillaccus, Alambertus. Eos itaque, si vacat, consulite.

CA-

CAPUT VI.

De phaenomenorum ab observatione experimentisque pendentium consectariis, quae sola sunt, eaque firma synthetici ratiocinii principia.

QUemadmodum ad veritatis inventionem solo observationis experimentique praesidio utimur, ita in ejus demonstratione eorumdem consectariis uti consuevimus. Quamobrem si diuturnum inventionis iter, breve illud demonstrationis est. In analysi viae omnes rectae, nimirum, obliquae, verae falsae, novae vetustae, cognitae latentesque observantur & inquiruntur. In synthesi quasi praeteritorum errorum obliti sola, quae nobis veritatem obtulere, commemoramus atque describimus. Hinc dum veras rectasque vias recordamur, eas solum discentibus proponimus & quidem brevissime, ne taedii plurimum afferat, quae latius pateret, inventionis historia. Vera igitur phaenomenorum consectaria synthefeos sunt appellanda principia. Ac de veritate hujusmodi 1. Demonstrationem, 2. Debitas cautiones explicabimus.

§. I.

§. I.

Propositionis veritas demonstratur.

Notum exploratumque, quod demonstrandum assumimus. Interim ad Juventutis utilitatem, per brevi illud historia confirmabitur. Principia Hippocratica, quae Aphorismi dicuntur, consectaria sunt observationum, quas sive per se, sive per alios feliciter in medendo Hyppocrates instituerat.

Geometrica Euclidis principia illarum sunt consectaria observationum, quas veteres ante illum Geometrae de abstracta extensione ejusdemque rationibus praestitere.

Quae sive in Geometria, sive in Mechanica Syracusanus Archimedes demonstravit summa cum admiratione posterorum, ea debentur consectariis hujusmodi.

Uno verbo, quidquid demonstramus, ad haec consectaria tamquam ad vera & inconcussa principia refertur. Hinc Galilaei, hinc Newtoni, hinc Boerhavii, Halleri, aliorumque accuratae demonstrationes prodiere.

Inventorum aliqui non modo vias omnes, per quas ad veritatem pervenerunt, retulere, verum etiam historicis phaenomeno-

norum narrationibus subjunxere isthaec observationum consectaria. Legantur Bonnetus, Spallanzanus, Cortius, Fontana, Andreas de Luc, aliique.

§. II.

Quo cautionum genere propositio sit intelligenda?

Quod de hisce consectariis diximus, hoc sane pacto intelligendum. Consectaria hujusmodi debent esse legitima arcto, nimirum, vinculo cum iisdem copulata phaenomenis. Est enim quoddam consectariorum genus, quae solis philosophantium ideis continentur, soloque ab studio systematis enascuntur. Multa hujus generis habes in Buffonio, Bonneto, aliisque.

Hinc a veris consectariis, verisque proinde synthefeos principiis, excludendae Scholasticorum propositiones genericae, quae ab una abstractione profectae nullam habent rationem phaenomenorum.

Hinc etiam angue pejus hypotheses fugiendae, quae somnia sunt delirantium Philosophorum, nisi eae ad theses redactae observatione fuerint, quod quanam possit ratione obtineri, superius explicatum uberrime.

Prae-

Praeterea vel in synthesi ad firmitatem principiorum matheseos usus retinendus. Non quidem ille usus, quem aeffrenem dicunt, sed is, quem proprium modestum inque ipsa analysi retinendum diximus. Multa enim, quae neque observatione, neque experimentis possunt demonstrari, aut Geometriae, aut Analyseos adjumento egtegie demonstrantur. Horum exempla in Galilaeo, Newtono, aliisque familiaria sunt.

Monitum.

Hae in re legendi praestantiores Phisici, Medici, Mathematici ad imitationem. Ad ipsam vero institutionem quod attinet, consulendi Alambertus, Montucla, Frisius, P. Fontana, Jallabertus, & si qui sunt alii.

CAPUT VII.

Quonam ordine in synthetico ratiocinio principia disponenda.

IN omni demonstratione praeter principia, quae vera dicuntur, debitus quoque spectandus est ordo. De hoc 1. Quid falso putatum. 2 Quid certo tenendum sit, proponemus.

§. I.

§. I.

Quid de ordine in ratiocinio synthetico falso putatum?

Sunt qui putent, omnia synthefeos principia mathematicum esse in morem disponenda. Horum princeps Wolfius, Heinnecius, Besombesius, Fortunatus Brixiensis, Antonius Genuensis, aliique non pauci.

Fatendum vero hac methodo nonnisi fucum imperitis fieri. Illa enim aeque veritati ac falsitati demonstrandae aptari potest. Eadem, quae natura suapte incerta ac dubia sunt, minime evadunt certiora magisque explorata. Quid magis Pantheistico systemate falsum, absurdumque? Interim, si Spinozae credas, illud mathematica est methodo demonstratum? Quid magis rationis impervium lumini ipsa Numinis actione, qua se ad singula rerum creatarum praestat? Id tamen fuit mathematica ratione enunciatum.

Quaeris, quid sit Mathematicorum methodus? Disce ab Alamberto. Exterior quidam cortex est, eodem modo se habens ad veritatem, quo se tituli ad nobilitatem referunt. Hinc quae maximam praeseferunt evidentiam, hac methodo elaborata

ni-

nitent; quae vero propria sunt ratione perobscura, inter tenebras delitescunt.

Adde, catenam geometricam solum in iis habere locum posse, quae partes habent arctissimo inter se vinculo copulatas. Jam vero si ab extensione abstracta divageris, nullam inveneris hujusmodi cognationem. Plura enim sunt a se invicem ubique sejuncta, quorum vincula aut nulla sunt, aut ignorantur ab omnibus.

§. II.

Quid certo de eodem ordine cogitandum?

Quoniam igitur Geometrarum ordine synthetici ratiocinii haud sunt disponenda principia, quanam necessaria methodo in iis procedendum, videamus. Et quidem, quoad potest, brevius id per legum, quae sequuntur, explicationem edocebimus.

Lex I. *Ad claram cujuscumque veritatis demonstrationem utere primum egregiis definitionibus accuratisque partitionibus; atque ita in quo disputationis cardo versetur, luculenter exponito.* Quanta sit necessitas, quaestionis, ut inquiunt, statum exponendi, nemo est qui nesciat. *Omnis enim*, Tullio praecipiente, *quae a ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet a definitione profici-*

ſciſci, ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputetur. Id autem non modo definitionibus, verum etiam partitionibus obtinetur.

EXEMPLUM

Ab Alamberto deſumptum in celeberrima diſputatione: *de adaequata menſura virium*.

Hoc nomen *vis* in corpore ſe movente nihil aliud praeter proprietatem ſignificat aut ſuperandi obſtacula, aut iiſdem reſiſtendi. Hinc quo majus ſuperandum obſtaculum, quoque major eidem reſiſtentia opponenda, eo major *vis* in eodem corpore neceſſaria judicatur. Obſtaculorum alia inſuperabilia omnemque motum penitus extinguentia; alia quae tantumdem habent reſiſtentiae, quantum ad motum, quem corpus habet, in inſtanti extinguendum requiritur, & hic caſus aequilibrii eſt; alia demum, quae corporis motum ſucceſſive ac pedetentim extinguunt, atque haec retardati motus hypotheſis. Quae obſtacula ſunt primi generis, ea nullo nobis eſſe poſſunt ad vim metiendam praeſidio. Igitur menſura virium aut in aequilibrio, aut in motu retardato perquirenda. Omnes autem

tem consentiunt, inter duo corpora aequilibrium esse, quoties ex utraque parte sint aequalia massarum ac virtualium celeritatum producta. Quamobrem in aequilibrio erit vis ut productum massae per celeritatem, seu poterit vis per quantitatem motus repraesentari. Item apud omnes exploratum, in motu retardato numerum obstaculorum, quae superata fuere, esse ut quadratum celeritatis. Corpus enim, quod unum elaterium determinata quadam celeritate clauserit, potest celeritate dupla vel una simul, vel successive non duo, sed quatuor primo similia claudere elateria, novem celeritate tripla &c. Ex quo *virium vivarum* defensores inferunt, vim corporum se moventium generatim esse, ut productum massae per quadratum celeritatis. Sed qui vires vel in motu retardato a simplici producto massae in celeritatem mensurantur, ii non absolutam obstaculorum quantitatem, sed aggregatum spectant resistentiarum eorumdem. Est enim hoc quantitati motus proportionale. Huc ergo redit omnis disputatio: num vires in casu motus retardati mensurandae sint per absolutam quantitatem obstaculorum, an per summam resistentiarum eorumdem.

Lex II. *Clara nitidaque posita quaestionis status explicatione, jam inter ea, quae prin-*

ci-

cipia sunt primi ordinis, & quae secundi dicuntur esse, accurate distinguito; primumque locum primis alterum secundis in omni ratiocinio tribuito.

Propositiones, quae primae in omni ratiocinio synthetico statuuntur, debent ab iisdem definitionibus immediate proficisci, caeterarumque veluti fundamenta esse debent; quippe aliis, quae sequuntur, demonstrandis inserviunt. Sunt qui putent, propositiones simplices praecedere compositis oportere, genericas peculiaribus. Verum docente s' Gravesandio, nulla in hoc firma praescribi regula potest. Illud potius diligenter observandum, principiorum duplex genus esse ex Alamberto. Alia, nimirum, quae *primi ordinis* appellantur, alia, quae *secundi ordinis* dicuntur esse. Atque illa solum principio statuenda, haec deinceps. In Geometria aeque *superimpositionis*, ac *mensurae angulorum per arcus circulares confectae* principiis utimur. Sed illud *primi ordinis*, hoc vero *secundi* jure dicitur. Quamobrem *superimpositionis* principio primus veluti locus tribuendus; alterum autem de *angulorum per arcus mensura* secundo loco ponendum est.

Lex III. *In omni ratiocinio eas solum propositiones retineto, quae ad propositum argumenti genus referuntur; caetera reseca-*

to. Jam illud ſuperius quoque conſtitutum, breviori, quoad fieri poteſt, via in veritatis demonſtratione procedendum. Quae minime ad inſtituti rationem noſtri pertinent, ea ſupervacanea videri debent. Itaque eae ſolum retinendae propoſitiones, quae veritati demoſtrandae illuſtrandaeque inſerviunt. Hinc obſervationum experimentorumque conſectaria ad principia ſyntheſeos ſtatuenda diximus eſſe opportuna. Viae enim inventionis longae, ac proinde non ſatis aptae ad veritatem reliquis declarandam, quidquid in oppoſitum ſentiant viri caeteroquin graviſſimi.

Lex IV. *Si axiomatibus uti velis, ea in ratiocinii progreſſione adhibeto, appoſitoque ſingulis demonſtrationibus, ubi neceſſaria reputaveris.*

Loquor de iis axiomatibus, quae minime ſint illuſoria, quaeque vera ſunt apud omnes, non dubia, non aequivoca, non ſyſtematica. Namque in ſyntheſi praeclarum habent uſum ex Lockio.

Lex V. *Propoſitiones illas primum demonſtrato, quae ex antecedentibus conſequuntur; dehin quae cum his cognationem habent, & quidem ita, ut illae praecedant, quarum major cognatio eſt.* Legis hujus exempla familiariſſima ſunt apud Geometras. Horum in omni ratiocinio veſtigia ſequiminer.

Me-

Monitum.

De ordine, quo synthefeos principia funt conftituenda, videte Dialecticos ferme omnes; in primifque s' Gravefandium, Antonium Genuenfem, Soriam, reliquofque.

PARS III.

De principiis ab auctoritate ductis feu de arte critica.

MAgna fapientiae pars eruditione continetur; eruditio autem critico deftituta ingenio nil valet, contemnenda potius, quam optanda philofopho. Quod itaque ad abfolutam libri primi rationem attinet, de principiis, nimirum, ab auctoritate ductis, feu de re critica difputare, id maxime utile maximeque neceffarium videri debet.

Jam criticae artis natura in eo verfatur, ut brevem quamdam exhibeat legum inftitutionem, qua vera a falfis, a pravis recta in omni re fecernantur. Quam late hoc argumenti genus pateat, ex ipfa definitione intelligitur. Sed intra debitos illud fines coercendum, deque ea tantum critices differendum facultate, quae in auctoritatis ufu eft opportuna.

Atque hinc 1. De arte hermeneutica. 2. De dotibus Historicorum. 3. De vi ac potestate argumenti negativi. 4. De varia ratione codicum. 5. De re lapidaria. 6. De re numismatica. 7. Demum de re diplomatica pertractabimus.

CAPUT I.

De arte hermeneutica.

ARS hermeneutica, qua sint ratione aliorum dicta interpretanda, docet explicatque. Ea nihil utilius. Hujusmodi ars vel generica est, vel peculiaris. De utraque nonnulla.

§. I.

De hermeneutica generatim.

Quemadmodum naturae, ita librorum interpres triplici opus habet genere cautionum. Primum antecedentia, alterum concomitantia, postremum subsequentia spectat. Singula percurramus.

Et quidem ante interpretationem haec sibi quisque paret necesse est. 1. Cognitionem idiomatum. 2. Materiei. 3. Codicis accuratissimi. 4. Scriptoris. 5. Saeculi. 6. Gen-

6. Gentis, ex qua ſcriptor eſt. 7. Mentem omni anticipata opinione vacuam. Explicemus haec uberius.

I. Itaque comparanda interpreti eſt *cognitio idiomatum*. Nimirum originalis lingua, in qua ſcripſit auctor, perfecte intelligenda. Nullae enim accuratae abſolutaeque verſiones ſunt, nullae ex Ricchardo Simonio eſſe poſſunt. Quod ſi vertendi animo interpretatio fiat, vel illud neceſſarium idioma eſt, in quod originalis lingua converti debet. Plerique Ariſtotelis interpretes grecae linguae ignoratione laborarunt. Aedepol! Quam praeclara illorum interpretatio.

II. *Materei*. Nam plures habere vocabula ſignificationes poſſunt. Eas vero undenam, niſi ex argumenti genere ſecernamus? Interpretatio quinti libri ſectionum conicarum Apollonii Pergaei, quae facta Romae eſt ab optimo arabicae linguae Inſtitutore, niſi comitem habuiſſet Borellium noſtrum Matheſeos peritiſſimum, nullum profecto ſenſum reddidiſſet.

III. *Codicis accuratiſſimi*. Varia nimis eſt ratio codicum, de qua inferius. Si quis igitur eoſdem ſibi aut interpolatos, aut mutilos, aut quavis alia depravatos ratione comparet, longe procul ab optima futurus eſt interpretatione.

IV. *Scriptoris*. Huc pertinet cognitio ejus ingenii, phantasiae, muneris, temperamenti, religionis, finis. Haec enim omnia mirifice in judiciorum sententiarumque discrimen influunt. Haec modo veritatem aut falsitatem, modo verisimilitudinem fabulasque promovent.

V. *Saeculi*. Discrepans enim pro ratione temporum significatio verborum. *Mathematici* nomen olim contemptui, nunc honori tribuitur. Praeterea alia sunt saecula barbara, alia quae aurea dici possunt. Sunt saecula tyramnidis & libertatis. Saecula sunt religionis atque superstitionis. Qui scribunt, saeculi morem, opiniones, consuetudines dictis factisque repraesentant.

VI. *Gentis &c.* Hinc antiquitates, hinc forma regiminis cultusque publicus locorum, provinciarum, urbium, in quibus Scriptor vixit, accurate perdiscenda.

VII. *Mentem &c.* Hoc interpretum ferme omnium commune vitium est, ut ad suas potius, quam ad scribentium ideas attendant. Hinc proprio imbuti systemate, illud quocumque oculorum aciem convertant, intuentur. Hac de causa Moyses factus aliquando *Copernizans*, omnisque Scriptura in erroris conversa patrocinium.

Quum vero actu fit interpretatio, iis, quae sunt hactenus a nobis exposita, haec

quo-

quoque adjungemus. Nimirum 1. Rite legemus. 2. Propositionum subjecta & praedicata diligenter investigabimur. 3. Verba cum naturali sensu accipiemus, nisi sufficiens sit ratio in oppositum. 4. Loca obscura per clariora interpretabimur. 5. Si confugiendum sit ad interpretes, doctioribus utemur atque proximioribns. Vel haec latius exponamus.

I. *Rite legemus*. Quod neu Grammatistarum in morem intelligatur, sed ita, ut ordinate, non interrupte, pro viribus, ac meditando legamus. Quae enim aliter leguntur, ea non in ingenium, sed summa etiam cum difficultate in memoriam eunt; tantum abest, ut recte possimus interpretari.

II. *Propositionum subjecta &c.* Quae de propositionibus earumque interpretatione diximus, huc pertinent. Illa igitur ad memoriam revocate, iisque utiminor praeceptionibus.

III. *Verba &c.* Primus verborum sensus est, quem naturalem dicunt. De eo vulgus judicandum suffragio est. Standum itaque huic sensui, nisi sufficiens in oppositum ratio innotescat. Nimirum, nisi sensus inde consequatur absurdus minimeque cohaereris, nisi id scribentis instituto doctrinaeque adversetur.

 IV.

IV. *Loca obscura &c.* In naturae interpretatione obscura phaenomena per clariora explicantur, ut diximus. Idem in scribentium interpretatione faciendum est. Quanta sunt in omni scripturae genere, quae ex seipsis aut nihil significant, aut non bene cum Auctoris fine conveniunt.

V. *Si confugiendum &c.* Doctiores vicinoresque dico discipulos, domesticos, coaevos, uno verbo eos, quibus verosimilius est, Scriptoris mentem fuisse cognitam perspectamque. Hinc Patres antiquiores in Apostolorum interpretatione caeteris paribus majori sunt fide digni.

Tandem quae consequi interpretationem debent, sunt 1. Ejusdem cum reliquis, si quae sint, comparatio. 2. Super ea doctissimorum consultatio virorum. 3. Diuturnum examen vel a proprio Auctore institutum. Haec enim omnia accuratiorem, quoad possunt, interpretationem reddunt, faciuntque nos certiores, minime in alterius mente investiganda abherrasse.

Optimae Versionis exemplar magno cum Italiae nostrae ornamento plausuque dedit nuper vir doctissimus Raymundus Cunichius in opere: *Homeri Ilias latinis versibus expressa*. Hanc itaque versionem consulite.

§. II.

§. II.

De hermeneutica peculiari, nempe sacra.

Peculiaris hermeneutica ad omne doctrinae genus pertinet. Hinc alia Phisica, alia Medica, alia Juridica, alia Mathematica, diversi generis alia. Facultatum omnium tractationes hanc hermeneuticam suppeditant. In iis igitur accurate versaminor.

Quod ad nos attinet, solum de sacra hermeneutica verba faciemus. Jam vero haec vel Divinam Scripturam, vel Ecclesiae Traditionem spectat: quae duo sunt fontes revelationis uberrimi. A divinae Scripturae interpretatione ordiemur.

Est Scriptura, definiente Divo Gregorio: *epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam*. Ea igitur ubique verax, quemadmodum semper verax ejus auctor Deus. In vetus novumque testamentum dividitur; quorum primum alterius veluti umbra & figura nuncupatur. In utroque autem duplex sensus, *litteralis*, nimirum, & *misticus*. Principio de litterali agemus.

Omnis Scripturarum sententia semper ad litteram proprieque intelligenda, nisi aliter ob necessitatem faciendum esse cogno-

gnorimus. Fac enim pro arbitratu licere nobis a proprio sensu recedere, omnia, quae vel ad historiam, vel ad fidei dogmata, vel ad morum instituta pertinent, statim corruent & quodammodo interibunt.

Hujusmodi autem necessitas triplex. 1. Si ex propria significatione quidpiam sequatur fidei repugnans. 2. Si ex eadem fiat aliquid charitati contrarium. 3. Si litteralis & propria interpretatio contextui adjunctisque minime respondeat. Hinc quae sive Deo, sive Christo, sive Ecclesiae adversantur, omnia sunt improprie figurate & mistice accipienda. Et quidem Deo repugnat corporea ratio, vicissitudo perturbatioque animorum. Christo haud proprie aptantur denominationes *agni*, *leonis*, *aquilae*, *petrae*, *cornu*, *montis &c.* Ecclesiae demum minime conveniunt ad litteram nomina *sponsae*, *amicae*, *columbae*, *turturis*, *civitatis*, *exercitus &c.* Haec igitur omnia improprie erunt a nobis usurpanda.

De mistico sensu haec certo habeas. Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, quam saepissime explicari. Hinc quae condidit Deus praeter humanos usus altiorem quamdam habent interpretationem. Ea aliquando ad *animam*, aliquando ad *militantem*, aliquando etiam ad *triumphantem*

Ec-

Ecclesiam referuntur. Si ad animam referantur, sensus *tropologicus*, seu moralis appellatur. Si militantem Ecclesiam spectent, sensus dicitur *allegoricus*. Si demum triumphanti Ecclesiae adplicentur, *anagogicus* sensus vocari solet. Praeter duplicem hujusmodi sensum, quem perpetuo spectare debet Scripturarum interpres, duo quoque illi vitia vitanda sunt. Cavebit enim in primis, ne in Scriptura philosophiae inquirat patrocinium. Ea enim data nobis est ad aedificationem pietatemque, non ad alimentum humanae curiositatis. Hinc Augustinus lib. 2. de Gen. ad lit. Cap. 9. *Breviter dicendum est de figura caeli hoc scisse auctores nostros, quod veritas habet: sed spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli ad salutem profutura.*

Cavebit etiam accuratus interpres, ne omnia secundum rei veritatem intelligat. Multa enim in Scripturis reperiuntur ex vulgari hominum opinione prolata, quae, si rigidius accipias, speciem quamdam habent falsitatis. Hinc Hieron. Cap. 28. in Jerem. *Quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat.*

Caeterum ne *privato*, ut inquiunt,

Spiritui detur in interpretatione Scripturarum locus, in omnibus judicio Ecclesiae standum est. Illa enim erroris incapax, columna & firmamentum veritatis, cui neque portae inferorum ex Christi promissione praevalebunt. Quoniam vero Ecclesiae definitiones traditionibus innituntur; hinc de altero capite hermeneuticae sacrae agendum est.

Traditio generatim sumpta doctrina est, quae ab uno seu viva voce, seu scripto alteri traditur. Ea vel divina, vel apostolica, vel ecclesiastica. Praeterea vel circa fidem, vel circa mores, vel demum circa disciplinam esse potest. Traditionis existentiam, ejusque in plurimis divinitatem Catholici omnes affirmant, idque de fide est. Secus opinantur Haeretici. De traditionibus haec certo tenenda.

Et quidem primo illud uti ratum fixumque habendum, definitivum Ecclesiae in generali concilio judicium, si ad ea pertineat, quae minime in sacris litteris leguntur expressa, nonnisi ab divina & apostolica traditione oriri potuisse. Exemplum habes in Tridentino Concilio de Sacramentis.

Deinde cum Patres unanimi consensione veluti de fide tenendum dogma proponunt, tametsi illud in sacris litteris mini-

nime enunciatum reperiatur, argumento eſt, id non aliunde, quam ex divina apoſtolicave traditione deſumptum. Exemplum tibi eſto in cultu ſacrarum imaginum.

Item ſi univerſa Eccleſia dogma aliquod tamquam de fide credat, quod perſpicue in Sacris Litteris non apparet, putandum eſt, eam ex traditione divina & apoſtolica illud credere. Exemplum quaerito in confeſſione auriculari.

Praeterea, ſi univerſa Eccleſia quidpiam ſervet ad fidem & religionem pertinens, cujus inſtitutio humanam poteſtatem excedat, neque id in ſacris litteris inveniatur, nonniſi ex divina & apoſtolica traditione hauriri potuit. Videſis exemplum in parvulorum baptiſmate.

Tandem ſi quid univerſa ſervet Eccleſia, quod in ea perpetuo ſervatum norimus, etſi ejus non excedat auctoritatem, merito creditur, vel ab ipſo Chriſto, vel ab Apoſtolis inſtitutum. Exemplum ſeſe offert in quadrageſimali jejunio. Quod ſi ejus originem longe poſt tempora Apoſtolorum reperias, non eſt niſi traditio humana Eccleſiatica. Sume tibi exemplum ex ritibus caeremoniiſque, quae vel in Sacramentorum adminiſtratione, vel in celebrando Miſſae Sacrificio, vel in divino officio recitando ex Eccleſiae preſcriptione adhibentur.

Caeterum plura cupientibus de hermeneutica generatim legendi Lockius, Clericus, Huetius, Dalham. De hermeneutica autem sacra Vincentius Lyrinensis, Melchior Canus, Opstraet, aliique.

CAPUT II.

De dotibus historicorum.

Historiam vitae magistram esse, jamdiu a Tullio observatum. Itaque non solum propria, sed aliena quoque vivendum experientia est. Constat autem, eos, qui nobiscum vivunt, non satis opportuna semper ad hanc rem documenta tradere. Confugiendum ergo ad exempla praeteritorum. Quoniam vero alienis ea narrationibus continentur, quanta sit historiae fides adhibenda, videndum nunc est.

Omnis, quae historicis narrationibus debetur assensio, teste Bonneto, ab sola analogia ducitur. Eosdem enim oculos & aures, easdem animorum propensiones, uno verbo eadem essentialia nostri similibus tribuimus. Hinc putamus, eos idem in re facti, de qua testantur, praestitisse, quod nos ipsi, si datum per aetatem locumque foret, fecissemus.

Duo

Duo ſunt, quae facimus ipſi, ubi quidpiam enarrandum ad aliorum utilitatem ſuſcipimus. Principio enim facti ſcientiam majori, quoad poſſumus, certitudine comparamus. Deinde quod ſcitum nobis eſt exploratumque, ſumma cum ingenuitate candore ac religione recenſemus. Itaque duae hiſtoricorum dotes erunt, quarum una ab eorum *ſcientia*, altera a *probitate* eorum pendet. De utraque in hoc capite diſſerendum.

§. I.

De ſcientia Hiſtoricorum.

Quatuor ſunt, quae Hiſtoricorum ſcientiam commendant. 1. Ratio ingenii. 2. Judicii. 3. Loci. 4. Temporis. Quemadmodum haec ſint intelligenda, explicandum eſt.

I. *Ratio ingenii*. Ingenium in homine multiplex. Eſt enim illud modo ſagax, modo hebes tardumque. Eſt ſive credulum, ſive ſcepticum. Quae facta narrant hiſtorici ingenio ſagaces, minime creduli, ea caeteris paribus majori ſunt fide digna.

II. *Ratio judicii*. Ingenium abſque judicio contemptui habetur. Illud intelligentiam, hoc intelligentiae rectitudinem ſeu aequitatem ſpectat. Illud frequens, perrarum hoc eſſe ſolet. In hiſtorico utraque laus neceſſa-

ria, sed judicii praesertim. Fabulis enim patet aditus, ubi recto destituare judicio.

III. *Ratio loci*. Praeter ingenium acre rectumque criterium ad fabulas dignoscendas, tutiusque veritatem exponendam, requiritur, ut historicus sit domesticus, ejus, nempe, loci, in quo factum narratur contigisse. Quis enim credat alienigenae, qui ob locorum distantiam minime propriis oculis, quae narrat, introspexit?

IV. *Ratio temporis*. Tandem contemporanei coaevique esse Historici debent, quo eorum enarratio fide dignior appareat. Idem enim vitii locorum ac temporum discrimen habet.

Atque hinc patet, solos ingenio judicioque praeditos testes, eosdemque simul *oculatos* minime decipi potuisse. Patet, *auritos*, nisi possint ad *oculatos* reduci, nullam sibi promereri fidem. Patet demum, testimonia historicorum, qui ex uno omnes rem accepere, non pluris esse facienda, quam sit primum illud, a quo ipsi acceperunt.

§. II.

De probitate Historicorum.

Altera dos Historicorum est *probitas*, ea nimirum, aequitas narrandi scribendique,

qua

qua neminem velint mentiendo decipere. Tollitur haec laus in Historico. 1. Ab amore patriae. 2. Ab ſtudio partium. 3. A formidine Potentium. 4. A ſpe lucri. 5. Ab ambitione. 6. A ſuperſtitione.

I. *Ab amore patriae*. Dulcis amor patriae eſt. Eo quamſaepiſſime decipimur, patriaeque laudes noſtrae altius, quam par eſſet, attollimus. In id vitii vel doctiſſimi Maurini Patres incidunt, dum Imperatorem Claudium ejuſque fratrem Germanicum inter Gallos Scriptores referunt.

II. *Ab ſtudio partium*. Difficile nimium, ut qui partium fautor cultorque eſt, veritati ſemper ſtudeat, ſeſeque a falſitate enarranda abſtineat. Hinc ob ſtudia partium mendaces Graeci, Latinique plures de mendacio ſuſpecti. Quam reprehenſionem fortaſſe merentur quoque Livius & Caeſar, duo illa Romanae hiſtoriae lumina praeſtantiſſima.

III. *A formidine Potentium*. Quis enim imperantibus Tiberio, Cajo, Claudio, ac Nerone, Romani imperii res geſtas auſiſſet ad veritatem deſcribere? Videte Tacitum.

IV. *A ſpe lucri*. *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames*? appoſite Virgilius inquit. Teterrimum vitium avaritia eſt. Eo dum impellimur ad ſcribendum, mendaces ut plurimum laudatores ſumus.

V. *Ab ambitione*. Quod lucri ſpes, idem in Hiſtoricis praeſtat ambitio. Uberrimum ea aſſentationi aperit locum. Aſſentatio autem longe procul a veritate poſita. Videte Plinium Trajani laudes referentem.

VI. *A ſuperſtitione*. Hoc vitii genere univerſae Gentium faedatae hiſtoriae. Quaeque de Mahumede referuntur, admiranda praeſertim, uni ſunt ſuperſtitioni tribuenda.

Cum a duabus hiſce dotibus pendeat hiſtoriae fides, potuerintque hiſtorici ex multiplici capite nunc ſcientia, nunc probitate carere, quiſque videt, accurato opus eſſe examine, antequam hiſtoricis narrationibus fidem adhibeamus.

Ubi conſenſio quaedam ineſt hiſtoricorum, niſi ex uno omnes acceperint, niſi paradoxa retulerint, quae enarrantur, ſunt abſolute credenda. At vero quum longe ab hujuſmodi conſenſione abſumus, res in diſceptationem cadet, ſoliſque enarratis dotibus poterit definiri. Quod cum de uno alterove hiſtorico tum de pluribus intelligendum.

Mo-

Monitum

Plura qui velit ad hanc rem pertinentia, adeat Clericum, Langlettum, Dalhamum, ipſumque Bonnetum in opere: *De Chriſtianiſmo*, ubi teſtium veriores caracteres exponit, ipſaque Chriſti miracula propugnat egregie.

CAPUT III.

De vi, ac poteſtate argumenti negativi.

Silentium coaevorum, vel quaſi coaevorum negativum argumentum dixere Critici. Quoties enim nullus Hiſtoricorum ſuppar factum, de quo quaeritur, enarravit, ſtatim graviſſima ſuboriri dubitatio ſolet, ſitne illud inter aniles fabulas recenſendum. Itaque cum argumenti hujus vis atque poteſtas a vi poteſtateque laudati ſilentii maxime pendeat; hinc quanti faciendum illud ſit, breviter exponendum. Duo ſunt praecipue, quae rectam hujuſce ſilentii interpretationem faciunt. Alia nimirum, quae eamdem praeparant, alia, quae abſolvunt perficiuntque. Utraque explicabimus.

§. I.

§. I.

De iis, quae rectam silentii interpretationem praeparant.

Quae animum ad rectam silentii interpretationem quodammodo praeparant, ea duabus animadversionibus continentur. Harum prima est, eum, qui tacet, non ideo rem negare, quia tacet; seu quod idem est, silentium absolute loquendo non semper argumentum improbationis esse. Fac enim me tacere, dum alii colloquntur, fac me praeterire silentio, quae referuntur ab aliis, numquid ex meo silentio improbationis enarratae rei argumentum duci legitime poterit? Minime gentium.

Haec autem altera animadversio est. In rebus facti, de quo caeteri mentionem faciunt, quatuor potissimum causis unius alteriusve silentium tribui potest. Qui enim silet, vel *ignoratione*, vel *obscitantia*, vel *improbitate*, vel demum *timore* silet. Exponamus haec accuratius.

Non omnes Historici eadem pollent copia eruditionis. Igitur ex ignoratione plu timà possunt omittere. Est quoque genus Historicorum, qui minimum judicio reflexioneque valent. Itaque neu mireris, si

vel

vel necessaria maximique pretii propter oscitantiam scribendo sileant. Item quanta non praetereunt silentio viri nequam & factiosi? Exemplo sint nobis Josephus in Christianorum historia recensenda, ipsique Etherodoxi in Lutheri & Calvini rebus gestis enarrandis. Ad timorem quod attinet, quanta non omisere, qui Neronis tempore scripserunt, Historici. Idem silentium timoris caussa in plurimis servarunt primitivae Ecclesiae Christiani, ne quid, scilicet, eorum respublica detrimenti caperet. Quamobrem qui se ad rectum negativi argumenti usum praeparat, duo haec, quae posuimus, secum ipse reputet, necesse est. Pro axiomatibus enim haberi possunt.

§. II.

De iis, quae rectam silentii interpretationem absolvunt perficiuntque.

Sed ipsa silentii interpretatio, quae generatim dubia atque incerta est, praecipuam quamdam acquiret vim certitudinis, si quatuor invicem accuratissime comparemus. 1. Enim spectanda rei gravitas, eaque cum singulis, quae illam comitantur, adjunctis conferenda. 2. Habenda ratio testium, qui conticescunt. 3. Eadem quoque

que ratio considerada in iis, qui primi factum retulere. 4. Demum vel de ipso silentii tempore sollicitos nos esse oportebit.

Ac primum *spectanda rei gravitas &c.* Quae nullius momenti sunt aut esse putantur, ea silentio praeteriri solent. Quae vero gravia, quae utilia, quae temporum historiae hominumque characteribus dignoscendis inserviunt, ea si a viro docto diligentique Historico praetermittantur, suspicionem ingerunt falsitatis. Hac de caussa a plurimis impugnatur historia de speculis ustoriis, quibus usum dicunt in navium romanarum incensione Archimedem. Idem dicendum de iis, quae incredibilia, admiranda, atque etiam paradoxa videntur esse. Portentorum enim historica narratio omni tempore vulgatior est, quam oporteret. Ea igitur ignoratur a nemine. Quid si eam praetermittat Historicus prudens, non oscitanter scribendo assuetus? Falsitatis id argumentum erit. Lege fabulam Joannae Papissae.

II. *Habenda ratio testium, qui conticescunt.* Sed ipsa rei gravitas cum testium, qui tacent, numero ac genere comparanda. Aut enim coaevorum unus & alter, aut plures omnesve silent. Si unus aut alter sit, qui sileat, quae superius dicta

sunt,

ſunt, recolenda. Sin vero pluribus enarrantibus, alii plures de eadem re conticeſcant, quoniam numero teſtium nequit res definiri, eorum genere, nempe, meritis dotibuſque definienda. Tandem ſi in omnibus coaevis ſpectetur ſilentium iſtud, niſi praecipua quaedam ſilentii hujus ratio appareat, ad rei falſitatem conjectandum. Unius alteriuſve ſilentium ad hiſtoricae narrationis impugnationem adhibitum habes apud D. Hieron. De Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 7. ubi loquens de Periodis Pauli & Theclae haec ſcribit: *Igitur periodos Pauli & Theclae, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas ſcripturas computamus: Quale enim eſt, ut individuus comes Apoſtoli inter caeteras ejus res hoc ſolum ignoraverit?* Quae huc reducuntur. De hiſce periodis deque baptiſmo Leonis Sanctus Lucas D. Pauli comes ſilet. Ergo haec falſa ſunt,

III. *Eadem quoque ratio conſideranda in iis, qui primi factum retulere.* Dum coaevi de re quapiam ſilent hiſtorici, vel illud accurate ſpectandum, qualis ſit primus. qui de eadem re mentionem fecerit? Fuitne vir gravis minimeque credulus? Fuitne, qui ſolum teſtimonia admiſerit omni exceptione majora? Habetne alia, quae inter fabulas ſint recenſenda? Illudque in

pri-

primis, de quo reliqui antiquiores tacent, probatne documentis fide dignis, an potius rumoribus vanis incertisque traditionibus? Haec & alia hujus generis in primo referente Historico inquiremus. Vide Grandianas de Pisanis Pandectis cum Cl. Tanuccio concertationes.

IV. *Denique vel ipsum silentii tempus ad rigidum examen revocandum.* Duo potissimum de ratione temporis investiganda. 1. Quale illud fuerit. 2. Quanta ejus diuturnitas extiterit. Quod ad primum attinet, sunt nonnulla tempora, quibus facta aut sunt a plurimis ignorata, aut neglecta, aut silentio ad utilitatem praetermissa. Ante Platonis aevum Graeci historiae parum addicti aut eventus ignorabant, aut negligebant. Persecutionum temporibus nonnulla ob timorem praetermittenda. Quod spectat alterum: Launojana lex de spatio ducentorum annorum circiter improbanda. Saepissime enim contingit, ut minor quoque temporis diuturnitas ad facti sive inverisimilitudinem, sive falsitatem ducat. Aliquando etiam neque ducenti ad eundem finem anni sufficiunt. Qua de re videndus Thiersius Launoii impugnator acerrimus.

Monitum.

De vi ac poteſtate hujus argumenti prae caeteris legendi Launojus, Thierſius, Mabillonius, Grandius, Dahlamus, aliique.

CAPUT VI.

De varia ratione Codicum.

Codicum alii ſunt ſpurii, alii genuini, alii incorrupti, alii depravati, alii mutili, alii interpolati, ſuſpecti alii. Qui proprii auctoris nomen praeſeferunt, genuini. Qui adſcititium habent, ſpurii. Quibus nihil additum, ſubtractum, mutatumque eſt, incorrupti. Qui plura menda erroreſque habent, depravati. Mutili iis carent, quibus aliunde conſtat carere non debuiſſe. Interpolati ii, in quibus innovatio apparet. Suſpecti demum, quorum corruptionis graviſſimae rationes ſunt. De varia codicum ratione differentes duo inquiremus. 1. Depravationis cauſas. 2. Leges ad depravationem agnoſcendam accomodatas.

§. I.

De multiplici depravationum causa.

Quadruplex causa depravationum ex Joanne Clerico. Vel enim ea temporis, vel Librariorum, vel Criticorum, vel Impostorum est.

I. *Temporis*. Edax tempus est, ejusdemque rebus omnibus perniciosa vetustas. Haebreos, graecos, latinosque codices consulite, in primisque *Fragmentum historiarum libri 91. Titi Livii descriptum & recognitum a Cll. VV. Vito M. Giovenazzio, Paullo Jacobo Bruns ex Schedis Vetustissimis Bibliothecae Vaticanae.*

II. *Librariorum*. Ante typographicam artem omnes codices describebantur. Hinc Librariorum munus, quorum alii dictantes, scribentes alii vocati sunt. Ab utrisque innumera profecta menda, quorum multiplex ratio facillime intelligitur, & ab omnibus ferme Criticis exponitur.

III. *Criticorum*. Ad codicum errores corrigendos comparati fuere Critici. Horum neque omnes docti, neque in collatione Mss. accurati omnes extitere. Multa igitur libero Criticorum ingenio addita, subtracta, immutata, quae rem in deterius posuere.

IV,

IV. *Impostorum*. Est genus hominum, quos aut patriae familiaeque studium, aut odium exterorum, aut demum ipse religionis delectus ad codicum incitat depravationes. Atque hi quovis tempore regnarunt, eo praesertim, quo nullus fere criticae facultatis usus invaluerat.

§. II.

De legibus ad agnoscendam depravationem comparatis.

Ad codicum depravationem agnoscendam decem numero leges a laudato Joanne Clerico praescriptae sunt. Easdem pro instituti nostri ratione exponere curabimus.

Lex I. *Qui liber in vetustis codicibus alteri auctori tribuitur, ille suppositus: qui vero in iisdem aliquo caret, quod reperitur in novis, ille interpolatus: qui demum ea habet in vetustis, quae desiderantur in recentioribus, ille mutilus est.* Vitae excellentium Imperatorum saeculo XVI. cuidam Aemilio Probo suppositae. Eas vero vetustorum codicum comparatione Cornelii Nepotis esse, detectum est. Secunda editio Epistolarum Ignatii Antiocheni, de qua meminit Usserius, interpolata est. Habet enim ea, quae

in vetustis codicibus minime reperiuntur. Scripturarum libri cum veteris, tum novi testamenti, qui sunt ab Haereticis in lucem editi, ut plurimum mutili; quippe ijs carent, quae in antiquis codicibus insunt.

Lex II. *Si quae a veteribus ex libro aliquo olim prolata sunt, ea nunc in libro eadem inscriptione insignito desiderantur, aut alius est, aut mutilus. Item si leguntur aliter, suspectus est. Si omnia inveniantur eadem, genuinus est liber & integer, nisi aliae subsint dubitandi rationes.* Primae partis exemplum exhibet Commentarium Donati in Terentium; Alterius vero *De natura hominis* liber, a Galeno olim Hippocrati tributus. Postrema pars lucet ipsa per se, communique consensione sapientum admittitur. Fallit autem in libro *De consolatione*, quem Ciceronis nomine vulgavit Sigonius, ob styli animique diversitatem.

Lex III. *Scripta, quorum nulla sit mentio in vetustis cathalogis, quaeque memorata non sunt ab ullo Scriptore proxime sequentium saeculorum, aut ficta, aut suspecta sunt judicanda, nisi alia sit ratio in oppositum.* Hac lege detectae sunt Comediae omnes, quae a veteribus Plauto tribuebantur, etsi Plauti minime forent. Hac eadem lege detecti sunt libri, qui falso olim tribuebantur Hippocrati.

Lex IV. *Quae diserte rejecta sunt, aut in dubium vocata ab antiquioribus, ea admitti nequeunt ut genuina propter auctoritatem recentiorum, nisi aliter gravissimae rationes doceant*. Quis enim complures Dialogos Socrati olim falso tributos, quos ipsi veteres rejecere, ut genuinos admittat? Hujusmodi tamen lex in Scripturarum canone fallit. Ita Sapientiae liber licet a veteribus tanquam canonicus non haberetur, accedente Ecclesiae definitione, hodie inter canonicos recensetur. Cave tamen neu putes, omnia, quae veteres admisere, a nobis quoque esse admittenda. Ita omnes ferme veteres uti divina agnovere Gentium oracula, quae talia, Sybillinis exceptis, non esse, apud recentiores compertum.

Lex V. *Liber, in quo dogmata leguntur iis contraria, quae scriptor, cujus nomen praefert, constanter defendit, non videtur ejus esse, si praesertim dogmata sint alicujus momenti, aut interpolatus est*. Hac lege Galenus demonstrat, duas primas partes libri *De natura hominis* Hippocrati tributas genuinas esse, tertiam vero omnino esse suppositam.

Lex VI. *Liber, in quo memorantur res, aut personae Scriptore, cujus nomen praefert, recentiores, aut ejus non est, aut ab alio est auctus*. Prae caeteris hac lege usus Bentleyus,

leyus, ut ſuppoſitionem oſtenderet Epiſtolarum Phalaridis, in quibus memorantur urbes *Phintia*, & *Aleſia*, quae Phalaridis temporibus aedificatae non erant.

Lex VII. *Liber indoctus, aut imperitia refertus non poteſt ulla ex parte, aut ſaltem totus viro non inepto affigi, quamvis in vetuſtis codicibus ejus nomen praeſeferat.* Ita quae ſub nomine Periclis Olympii Ciceronis tempore circumferebantur, tamquam Pericle indigna ab eodem Tullio rejecta ſunt.

Lex VIII. *Liber, in quo tractantur vel reſpiciuntur controverſiae natae poſt tempora Scriptoris, cui tribuitur, aut in quo deprae-hendítur Scriptoris recentioris imitatio, vel ſpurius eſt vel interpolatus.* Hac lege rejectus a Criticis eſt latinus Commentarius in Jobum Origeni tributus. In eo enim controverſia reſpicitur Arrianorum, vociſque *Homouſion*, quae longe poſt Origenis tempora nata eſt.

Lex IX. *Si ſtylus ſit diverſus a noto ſive Scriptoris, cui liber tribuitur, ſive ſaeculi, quo ille vixit, ſpurius eſt: Si vero idem ſit ſtylus cum ſtylo alterius Scriptoris, ejus potius cenſeri debet, ſi nihil aliud obſit. Pervigilium veneris*, quod Catullo tribuere nonnulli, ex ſtyli diverſitate alterius Poetae eſſe dignoſcitur.

Lex

Lex X. *Vocabula recentioris aevi indicant Scriptorem recentiorem, vel libri interpolationem. In translatione vero si nihil sit, quod sapiat linguam, qua scripsisse constat auctorem, cui tribuitur, translatio non est.* Innumera recentioris aevi vocabula sunt in operibus Clementi Romano tributis, eademque in epistolis occurrunt, quae nomine primorum Pontificum fuere conscriptae. Ea igitur scriptoris sunt recentioris. Altera vero legis parte Erasmus a numero translationum Origenis *latina Exegetica* expungit.

Monitum.

De Codicum depravatione legendi Clericus, Mabillonius, Germonius cum Gautantio impugnatore, Honoratus a S. Maria, Dahlamus, aliique.

CAPUT V.

De re lapidaria.

ARS lapidaria praeceptis institutisque suis ad lapidum sive inscriptionum ducit intelligentiam. Ea chronologica, geographica, historica, ea vetustarum Gentium religio atque mores, ea demum adulterata & corrupta antiquorum monumenta corri-

riguntur emendantur illustrantur. De hac arte tria nobis investiganda proponimus. 1. Inscriptionum nomina ac partitiones. 2. Ea, quae pro vario inscriptionum genere sunt observanda. 3. Interpretatio judiciumque aetatis earumdem inscriptionum.

§. I.

De nominibus partitionibusque Inscriptionum.

Nomina, quae inscriptionibus tribuuntur, sunt epitaphii, monumenti, seu monimenti, memoriae ac memoriolae, pro sepulchralibus mensae, tandem marmoris, lapidis &c. Videte Pitiscum, verbo *Titulus*.

Ex Cl. Maffejo dividi inscriptiones possunt in *Votivas*, quas accuratius *Sacras* doctissimus Zacaria vocat, in *Juridicas*, in *Honorarias*, in *eas, quae publicis sunt operibus praefixae*, in *Funebres*, quibus laudatus Zaccaria sextum jure addit genus *Historicarum*.

Dividi quoque inscriptiones possunt in *Imperatorias*, in *Consulares*, in *Militares*, in *Publicas*, in *Privatas* &c.

Item a diversa subjectorum figura & forma aliae dicuntur esse, quae *in rotundis*

cu-

columnis, aliae, quae *in quadratis oblongisque lapidibus, in plumbis atque vitris* leguntur, aliae, nimirum, Sepulcrales, *quae cavitatem quamdam habent in vertice* ad mortuorum cineres asservandos, habentque praeterea *nonnulla foramina* ad lacrimas & sacrificiorum liquores recipiendos.

Item dividi possunt in *Cusas*, & *Pictas*, & juxta styli diversitatem, in eas, *quae soluta oratione*, aliasque, quae sunt *carminibus* expressae. De hisce postremis, consulite Franciscum Mariam Bonada ex Scholis Piis.

§. II.

De iis, quae in omni inscriptionum genere sunt observanda.

Quae ad omne inscriptionum genus referuntur, ea vel communia, vel peculiaria dici possunt. Ordiamur a primis.

Eorum, quae communia dicuntur, multiplex partitio. Nam in lapidibus ferme omnibus haec consideranda. 1. Praenomina, nomina, cognomina. 2. Tribus. 3. Patria. 4. Matrimonium spectantia. 5. Notae chronicae. 6. Stylus. 7. Orthographia. 8. Ornamenta.

I. *Praenomina*. Romanorum veteres primum duo nomina, dehin tria sibi assumpserunt. Quod in principibus usuvenisse viris praesertim legimus. Tria haec *Praenomina*, *nomina*, *cognomina* dicebantur. Erat *nomen* a primo familiae stipite desumptum, inque omnes posteros nepotesque derivatum, quod *gentilitium* a discrimine unius gentis ab altera dixere. Quoniam vero una eademque simplex familia in plures alias dividebatur, hinc ad distinguenda familiae genera *cognominibus* utebantur. Tandem ut vel in eadem familia unus ab altero secerneretur, adinventum *praenomen* est. Ita a primo stipite *Fabii* nomen efformatum; a diversitate familiarum ductum nomen *Vibulanae*, *Ambustae*, *Labeoniae* &c. Quemadmodum in eadem familia unus *Marcus*, alter *Cajus*, alter *Lucius* vocatus est. Atque hinc natae appellationes *Marci Fabii Ambusti*, *Lucii Fabii Labeonii*. De hac consuetudine ejusque vicissitudinibus videte Massejum in Dissert. *De nominibus Romanorum*.

II. *Tribus*. Populus Romanus initio in in tres partes, quas *Tribus* vocarunt, a Romulo divisus. Hae Urbis incremento auctae, & usque ad numerum trigesimum quintum, & quanquagesimum secundum amplificatae. De his Consulite Manutium, Zaccariam aliosque. In inscriptionibus no-

men

men *Tribus* ablativo casu exprimitur, cui subintelligitur *ex Tribu*, idque vel immediate ante cognomen, vel, hoc praetermisso, statim post gentilitium nomen. Post tempora *Septimii severi* mos apponendi tribus fere inolevit; saeculo autem quarto penitus abrogatus est.

III. *Patria*. In vetustis inscriptionibus familiare est patriae nomen, potissimum in militaribus, & sepulchralibus. Hujus scribendi locus erat post cognomen, vel, eo pretermisso, post gentilitium nomen & notas consanguinitatis. Quod si *Tribus* post cognomen adversus communem regulam inscripta foret, immediate post tribum patria apponebatur. De varia ratione scribendi patriam legite Equitem Orsatum, Zaccariam &c.

IV. *Matrimonium spectantia*. Apud Romanos puellae cum duodecim annorum essent, matrimonio jungebantur, quod testatur Plutarchus *in Numa*. Fuere quoque puellae nuptae annorum decem. Mulieres a Tullio *Conjuges*, mariti autem *viri* sunt appellati. At in Lapidibus mariti saepe *Conjuges*, mulieres vero *maritae*; quodque mirum videri debet, maritus aliquando *uxor* dictus. Qui puellam adhuc virginem ducebant in uxorem, *virginii*. Quaeque nonnisi unum virum cognorant *virginiae* vo-

cabantur. De *justis* atque *illegittimis* Romanorum nuptiis, de servorum contuberniis, aliisque eos consulite, qui ex instituto de hoc argumenti genere pertractant.

V. *Notae chronicae*. Ad temporis discrimina agnoscenda frequentissime notabatur in lapidibus consulatus *Ordinariorum*, & *Suffectorum* Consulum. Consulum nomina ablativo casu exprimebantur, appositione verborum Cos. Coss. Conss., idest, *Consule*, *Consulibus*. Quod si quis pluries extitisset Consul, vel consulatuum numerus declarabatur. Praeterea, imperio Constantinopolim translato, duo creabantur Consules, quorum unus Orientalis, Occidentalis alter. Uterque Consul saepissime exprimebatur in Lapidibus. Ineunte saeculo sexto, praeter consulatum vel indictionem appositam in inscriptionibus legimus.

VI. *Stylus*. Lapidum, quae aureo saeculo scriptae sunt, stylus una cum brevitate simplicitatem gravitatemque jungebat. Videte Plinium in historia. Hinc longe ab optimis inscriptionibus absunt fucatae sententiae, verborum circuitus, anthiteses, metaphorae.

VII. *Orthographia*. Varia nimis inscriptionum orthographia est. Litterae mutantur in plurimis, dipthongi nunc solvuntur, nunc alligantur. Modo commata sin-

gu-

gulis verbis apponuntur, modo fecus u-furpantur. Confulite Manutium, Cellarium, aliofque.

VIII. *Ornamenta*. Sunt quoque in vetuftis monumentis figna, quibus ratio exprimitur facrificandi, triumphandi, aedificandi, pugnandique, veftimentorum ufus, ludorum atque fpectaculorum mos, aliaque hujus generis multa. Sed illud praecipuum, quod duo vel tria foramina plures lapides habeant, de quibus confulendus Fabrettus.

Quae funt in Infcriptionibus peculiaria, ea rationem praecipuae earum partitionis fequuntur.

Hinc I. In *Votivis*, feu *Sacris* aut folum nomen divinitatis, aut una cum laudato nomine perfonae quoque voventis nomen apponebatur. Nunc folum Numen, illud nunc aliquo cum adjectivo fcribebatur. Praeterea frequentiffimus ufus formularum *voverunt*, *votum folvit*, *votum folvit merito*, *libens &c*, Vel formula *facrum* in monumentis frequentiffima.

II. In *Juridicis* Confules notabantur, fub quibus leges fuerant conftitutae. Deinde peculiaria quaedam figla apponebantur, cujufmodi funt ifta: H. L. ad Cof., ideft, *Hac lege ad Confulem*. In Senatus Confultis exordium ab eorum nomine ducebatur, qui

qui Senatum consuluerant, addebaturque locus & dies, qua Senatus fuerat habitus. Deinde nomina etiam notabantur illorum, qui *scribendo*, vel *scribundo adfuerunt*. Decreta Senatus Populique Romani hanc peculiarem formulam habebant S. P. Q. R.

III. In iis, quae *publicis erant operibus praefixae*, si Imperatoribus dicatae forent, initium ab eorum ducebatur nominibus. Hisce jungebantur nomina illorum, cujus *pecunia*, vel *impensa* factae erant. Vel ipsa ratio operis faciendi frequentissime apud Romanos exprimi consueverat. Perraro Architettorum nomen scribebatur.

IV. In *Historicis*, quae veterum res gestas, & praeclara facinora posterorum memoriae commendarent, designabantur. *Fasti Consulares*, seu *Capitolini*, *Marmor Ancyranum* luculentissima nobis exempla suppeditant.

V. In *Honorariis* honorum, qui benemeritis viris conferebantur, mentio fiebat. In his autem nomen personae, cui deferebatur honos, apud Graecos casu accusativo, apud latinos dativo saepius efferebatur, illudque lapidis initio poni consueverat. Huic nomini munera jungebantur laudati viri, ipsaeque rationes, ob quas honos fuerat constitutus.

VI. In *Sepulcralibus* solemnis erat formula *Diis manibus*, quae etiam Siglis D. M.

enun-

enunciabatur. Aliquando addebatur *Sacrum*. Superior autem formula nunc initio, nunc in fine, nunc demum ad latera apponi solebat. Defuncti nomen frequentissime jungebatur formulae. Nomini vero vel munera, quae exercuerat, addebantur. Haec & alia multa, quae in Sepulcralibus ponebantur; legi possunt apud Maffejum, Zaccariam &c.

§. III.

De interpretatione judicioque aetatis earumdem inscriptionum.

Optima lapidum descriptio, optimaque earumdem lectio duo sunt, quae ad rectam interpretationem in primis conferunt. Sed praeter haec nonnullae quoque servandae sunt leges.

Lex I. *In interpretandis lapidibus nil violentum nihilque absonum a naturali sensu in medium proferatur*. In hisce siglis interpretandis D. D. N. C. P. R. trium interpretationum, quas dedit Bianchinus, haec optima utpote simplicior: *Dedicatum nomine communi Populi Romani*.

Lex II. *Ab iis interpretationibus abstinendum, quae inusitatas formulas minusque acceptam syntaxim habent*. Adversus hanc re-

regulam peccavit obscuri nominis vir in interpretandis hisce Siglis IIII.VIR. QVINQ. Eas enim sic legit: *Quatuorviro quinquies*. Dum, Maffejo advertente, sic eas legere debuisset. *Quatuorvirum Quinquennalem*.

Lex III. *In Siglis explicandis omnia integro contextui respondeant*. Hanc legem violavit, qui in interpretatione lapidis L. *Murii Maximi*, Sigla V. C. interpretatus est pro *Viri Consularis*, cum potius interpretanda forent *Vir Clarissimus*. Inverisimile namque est, ut qui Consul erat, & eo nomine in eodem lapide per Sigla COS. exprimitur, *Vir Consularis* appellaretur.

Lex 4. *Nihil in Siglorum interpretatione admittendum, quod cum inscriptionis, quam interpretamur, genere pugnet*. Hinc si Sigla P. P. explicanda sint nobis, videndum est, Imperatorine, an Sacerdoti, Militine, an demum aliis facta sit inscriptio. Si enim Imperatoris sit, Sigla illa non *Praefecto Praetorio*, *Patri Patrum*, *Prae Posito*, *Primi Pilo*, sed *Patri Patriae*, aut fortasse melius, *Decretum Publice* intelligenda sunt.

Lex V. *Loci quoque Siglorum habenda ratio, nihilque ab ejus ratione alienum proferendum est*. Sigla A. P. si quoddam nomen consequantur, ut in marmore Gruteriano C. *Albinus* C. F. Ouf. *Mascellio* IIII

vir.

vir. A P. optime explicabuntur: *Aedilicia potestate*. At vero in Epitaphio tom. V. *Symb. Florent.* Gori Florentini *dare debent* A. P. R., ipsa loci ratio postulat, ut reddantur *aerario populi Romani*.

Hisce legibus in recta Siglorum interpretatione tria haec adjungantur, nimirum, consideratio loci, unde lapides effossae, analogia aliorum lapidum inscriptionumque, postremo historiae usus. Praecipuorum Siglorum indicem videte apud Gruterum, Maffejum, Zaccariam, aliosque.

Quod spectat aetatis judicium, quatuor in latinis lapidibus distingui aetates possunt. Prima a Romanis Regibus usque ad Augustum ducitur. 2. Ab Augusto ad Constantinum extenditur. 3. Ab interitu Constantini ad Romani Imperii eversionem, nimirum, usque ad annum 476. aerae vulgaris patet. 4. Ab hoc anno vel usque ad Carolum Magnum saeculo nono, vel usque ad duodecimum saeculum propagatur.

Signa lapidum, qui ad primam aetatem pertinent; sunt styli ruditas, & latinae linguae infantia una cum precipua orthographia. *Bacchanalium* Senatus Consultum, aliaeque leges a Sigonio atque Orsino descriptae ad hanc se aetatem referunt. Hinc illa: *profiterei* pro *profiteri*, *utei* pro *uti*, *sei* pro *si*, *senati* pro *senatus*, *finis* pro *fines*,

nes, *jusit* pro *jussit*, aliaque multa aetatis illius orthographiam constituunt.

Inscriptiones saeculi Augusti nitorem quemdam habent latinitatis & cyphrarum elegantiam. Frequentius in iis diphthongus AI pro AE, littera O pro V.; hinc *vivos*, pro *vivus*, *genetivos* pro *genetivus*, littera S cum X; hinc *vixsit*, *uxsor*, *exsemplum*, littera u pro i; hinc *maxumus*, *optumus* &c.

In Lapidibus, qui ad Tiberii tempora referuntur, digamma Eolicum Ⅎ pro V. Post Antoninos latinae linguae splendor penitus evanuit. Praecipua quaedam ratio munerum officiorumque servetur, quae sua status temporibus initia & fines habuere. *Procurator rerum privatarum* sub *Severo* institutus. Appellatio *Viri perfectissimi* nonnisi sub M. *Aurelio Antonino* originem nacta est. Altera *Viri Clarissimi* sub Tiberio Senatoribus, sub Allexandro autem Severo vel Praetorii Praefectis concessa. De inscriptione *Tribus* jam dictum superius est. In lapidibus, qui apud Italos sunt reperti, nomen *Divi*, aut *Divae*, quod viris faeminisve Imperantibus dabatur, post illorum illarumve interitum locum habuit.

Spectanda quoque ratio sacrificiorum. Hinc sacrificia Dei *Mytran*, quae ante Impe-

peratorem Commodum haud ignota privatis erant, magis magisque invaluere, postquam Christiana Religio caepit incrementum.

Facta ipsa, quae modo in lapidibus expressa, modo subintellecta leguntur, magno nobis praesidio ad illorum esse interpretationem possunt. Caracalla post Fratris Getae occisionem, ejus nomen a publicis monumentis delendum curavit.

Uno verbo caracteres, stylus, vocabula, orthographia, sententiarum & ornamentorum ratio ad lapidum ducit intelligentiam.

Monitum.

Haec, quae brevissime a nobis sunt exposita, uberius atque ex instituto a Maffejo, Zaccaria, aliisque pertractantur.

CAPUT VI.

De re numismatica.

A Re lapidaria ad rem numismaticam veniamus. Vel in hoc capite tria declarabimus. 1. Nomen, vetustatem, materiam, partitionemque numismatum. 2. Utramque partem, rectam, scilicet, inversamque. 3. Cha-

Characteres, qui in numismatibus reperiuntur, eorumque interpretationem.

§. I.

De nomine, vetustate, materia ac partitione numismatum.

Tria haec nomina *numi nummi, numismata* unum idemque sonant. Nummi a graeca voce *νόμος* legem significante sunt dicti. Quaesitum inter doctos, num quae numismata appellantur, ea monetae rationem habuerint apud veteres. Erizzus, quem secutus est Harduinus, id negarunt. Sed Augustinus, Savotius, & Challimartius rem extra omnem dubitationem posuere.

Vetustior monetae mentio habetur in Genesi. Apud Orientales Lidii, si Herodoto credimus, primi extitere, qui aureas & argenteas monetas cuderent.

Apud Graecos juxta Plutarchum Theseus fuit primus, qui monetam cudendam procurarit. Vel apud veteres Affricanos monetae sunt cusae, quarum aliquas in lucem edidit Maffejus.

Paucas habemus Etruscorum monetas. Cl. Passerius nonnullas refert. Romani frustulis aeneis initio sunt usi, Usque ad an-

num

num 485. Romae cusa semper est moneta aenea. Hoc autem anno cusum est argentum teste Plinio.

Tempore bellici Punici magna in monetis facta mutatio est. Idem temporibus, quae subsecuta sunt, contigisse novimus. Tandem sub Alexandro Severo in aeneis numismatibus legitur monetae restitutio. Hinc illa: *Restitutor monet.* S. C. *moneta restituta.* S. C. id est, Senatus Consulto.

Quod ad materiam attinet, omne materiei fere genus huic usui aptatum est. Hinc adhibitum ferrum; hinc adhibita quaedam *charta crassa* in obsidionibus civitatum, quae *moneta obsidionalis* appellabatur.

Chartaginenses ipsique Romani ad Numam usque scorteos asses, orbiculari figura, modico signatos auro in usu habuerunt.

Tandem omne metalli genus ad hunc finem adhibitum. Hinc aurum, hinc argentum, hinc aes vulgatius. De numismatibus plumbeis consulendi Ficoronius, Molinettus aliique.

Arbitraria omnino est numismatum partitio. Vulgatior haec, quae ad sex quasi classes numismata reducit universa.

Prima est, qua Urbium & liberorum populorum numismata continentur.

II. Regum numiſmata complectitur; quae iterum triplex. Prima incipit a remotiſſimis temporibus, & uſque ad Allexandrum Magnum extenditur. 2. Ab Aera Chriſtiana uſque ad finem quarti ſaeculi propagatur.

III. Virorum illuſtrium habet numiſmata.

IV. Romanorum monetam aeneam repreſentat.

V Conſularia numiſmata refert.

VI. Ad Imperatoria numiſmata pertinet.

De his videte Froelichium, cujus eſt partitio, itemque Zaccariam, qui eamdem exponit.

§. II.

De recta inverſaque parte numiſmatum.

Duas habent partes numiſmata. Harum una *recta*, altera *inverſa* appellatur. Principio de recta, deinceps de inverſa diſſeremus.

Pars recta vel ſymbola habet, vel numen aliquod, vel capita Principum aliorumque virorum illuſtrium.

Prima numiſmatum ſymbola fuere *agni*, *boves*, caeteraque animantia, quae vetuſtis tem-

temporibus praecipuum quoddam constituebant genus divitiarum. Hisce symbolis ea substituta, quae locum exprimerent, in quo eadem cudebantur numismata. Apud Aegienses in Pelopponeso *testudo*, in Urbe Zancles, quae deinde Messina dicta est, *delphinus*, apud Haebreos *palmae spicis refertae inter duo modia, lilia* & *racemorum uvae*.

Ad symbola numinum accessere imagines. Hinc Bacchus, Ceres, Diana, Minerva, Mors, Flora, Fortuna, Genius, Juppiter, Juno, aliaque numina cusa observantur, quae in inversis quoque partibus aliquando reperiuntur. Quaesitum est a Cl. Oliverjo, habuerintne Romani fixum ratumque in numismatibus thypum, unde eadem secernerentur numismata.

Jam primis temporibus eodem thypo Romanos caruisse certum exploratumque est. In melius autem redacta reipublicae forma, quoddam criterium in numismatibus appositum fuit. Quamobrem initio globulis sunt usi, qui in ratione numeri valorem exprimerent. Hinc quatuor globulis trientem, tribus quadrantem obsignarunt. Quoniam vero temporum iniuria oblitterari debuerunt globuli; hinc ad firmiora criteria ventum est.

Qua quidem in re illud dubium incertumque, quandonam commutatio isthaec

eve-

evenerit. Doctissimi Zaccariae opinio est, tunc invectam hujusmodi mutationem, cum aut cudi primum argentum caepit, aut cum assium immutatus est valor.

Facta autem hujusmodi mutatione, hunc in modum monetarum statutus valor apud Romanos.

Criterium *assis* caput fuit *Jani Bifrontis*.

Semissis criterium *Jovis Laureati* capite expressum est.

Triens capite *Laureatae mulieris* distinctum, quae nunc pro Roma, nunc pro Minerva verisimilius usurpata est.

Quadrans capite *Herculis leonis pelle* circumdati distingui caepit.

Sextans demum *Mercurii* capite signatum est.

Quemadmodum etiam in Romanorum argenteis monetis, dum istud invectum criterium est, *Roma Galeata* cudi consuevit, secretusque earumdem monetarum valor ex mole, quae major minorve dum esset, majoris minorisve pretii nota habebatur.

Nunc de Principibus aliisque viris illustribus dicendum. Ab antiquissimis temporibus Graeci Regum suorum capita in monetis cudi voluerunt. Secus apud Romanos factum est. *Monetales Triumviri* po-

ſtremis Reipublicae temporibus majorum ſuorum memoriam in monetis ſervare ſtuduerunt. Hinc eorumdem capita una cum nominibus impreſſere. Primus Julius Caeſar fuit, qui tanto adhuc vivus honore decoraretur. Caeſaris exemplum imitatus eſt Brutus, dum Caſſium in Aſiam inſecutus eſt. Foeminae quoque in monetis apud Romanos ſculptae. At ſerius id uſuveniſſe novimus. Quippe Livia Auguſti uxor adhuc vivens ſub Virtutis ſolum imagine cudi voluit.

Capita, quae in numiſmatibus obſervantur, varia ſunt ipſoque genere multiplicia. Horum nonnulla cum ſolis cervicibus, pectora cum humeris, dimidia demum corpora ſunt, quae *thoraces thoracideſque* ex Bonarrotii obſervatione ad *magna numiſmata* dicebantur. Diverſa quoque capitum poſitio. Ut plurimum ita ſunt cuſa, ut manibus apprehenſa dexteram intueantur. In latinis magnis numiſmatibus ea aut ſurſum vergunt, aut verſus eam partem dirigun-tur, quae praecipuae inverſae partis figurae reſpondet. In iis autem numiſmatibus, in quibus armati Imperatores cernuntur, capita reperiuntur adverſa iis, quae in altera parte obſervantur.

Praeterea duo etiam capita, quae ſe invicem ſpectant, in iiſdem numiſmatibus reperiuntur, quae *capita adverſa* dici ſolent.

lent. Aliquando versus eamdem partem utraque vergunt, copulata invicem, unumque vultus observatur delineamentum. Atque haec *jugata capita* vocantur. Nunc capita numero tria, quorum duo versus eamdem partem jugata, alterum vero duo isthaec intuetur. Nunc demum ex tribus capitibus unum inferius positum est.

Quo plura sunt capita, eo rariora majorisque pretii numismata, Tametsi vel unum quandoque caput plurimi est, si illud in magnis Italiae numismatibus reperiatur.

Si nudum appareat caput numismatis, illud Imperatoris non est, sed alicujus ad ejus familiam pertinentis. Sin vero diademate vel corona decoretur, ad Imperatorem refertur.

Quae de vario coronarum genere, deque aliis ornamentis capitis dicenda forent, videri possunt apud Zaccariam.

Pars inversa numismatum varia habet, pro gentium discrimine, ad quas illa pertinent. Hinc ex Oliverjo monetarum Romanarum inversa pars *navim seu rostrum navis* raepresentat. Quod de monetis Romae cusis intelligendum est. Quae enim alibi sub Romanorum Praesidibus cudebantur, alia decorari nota consuerunt.

Duplex typorum genus apud veteres.

Rea-

Reale unum, *symbolicum* alterum. Illud simplici litterarum observatione, vel intuitu figurae intelligitur. Hoc vero magna cum difficultate interpretamur.

Urbes sub humana specie repraesentatae. Quae vero ornamenta quaeque symbola adhibebantur, ea vel a proprietatibus regionum, vel a characteribus fluminum, vel denique a numinum cultu desumpta. Hinc numismata cum fidibus ad eas urbes referuntur, quae erant Apollini dicatae.

Non sunt *apes* coloniarum symbolum, quemadmodum Joberto visum est. Quae monetae apes repraesentant, Romanorum sunt Reipublicae tempore viventium, Romaeque cusae, & ad Consulares referendae.

Militare vexillum super Aram positum novam indicat coloniam, quae ex veteranis deducta militibus, *militaris* appellabatur. Quod si plura sint numero vexilla, ea colonias e pluribus legionibus deductas significant.

Quae figurae decumbunt, quaeque vel arenae promontoriis innituntur, vel demum super urnam, ex qua fluit aqua, sunt constitutae, eae flumina exprimunt; quae iterum nunc dextra attollunt hirundinem, sinistra vero nituntur urna, cujusmodi est

Flumen *ermus* in numismate Focensium apud Froelichium; nunc dextra herbam, vel arboris habent truncum, qui sit in regione, per quam effluunt, pretiosior utiliorque. Ita in magno Tharsensium numismate, de quo Bonarrotius, *cidnus* repraesentatur, habens manu plantam fructicosam, quae fortasse nardi est. Ita demum celebre Thraciae flumen *strimon* in Pautaliae numismate, dextra papaveris intra duas spicas tenet imaginem.

Quae de praecipuis provinciarum omnium urbiumque symbolis dici possent, ea & numero sunt infinita, & uberiorem tractationem expostulant, quam ea sit, quae nobis pro instituti ratione liceat. Hinc solum nonnullis utemur exemplis, quibus reliqua possint conjectatione illustrari.

Symbolum monetarum, quae apud *Argum* in Pelopponeso cudebantur, *caput* erat *dimidiumque lupi corpus*, ut liberarationis conservaretur memoria, quam veteres Argivi ab hujusmodi animantibus habuere.

Symbolum monetarum, quae apud Siculos erant in usu, repraesentat *humanum caput*, *ex quo tria faemura*, *&* *crura exeunt* sub forma trianguli, tria Siciliae promontoria exhibentis, unde veteres Siculi *Trinacrii* dicti sunt. Inter hujusmodi faemu-

mura & crura tres observantur spicae triticeae, ad regionis fertilitatem declarandam.

Symbolum monetarum, quae apud Macedones cudi consueverant, erat *Auriga cum scutica* ad gentis exprimendam in equis contrectandis regendisque peritiam; quaemadmodum etiam *Herculis clava*, ex quo numine Macedonum Reges se descendisse gloriabantur.

Tandem Symbolum monetarum, quae cudebantur apud Hispanos, *cuniculus* erat, a maxima copia animantium, quae in hac regione nascuntur. Quare a Catullo etiam cuniculosa dicta Hispania est.

§. III.

De characteribus, qui in numismatibus reperiuntur, eorumque interpretatione.

Illud principio statuendum, characteres numismatum aliquando esse ab ea regione diversos, in qua cusa extitere. Hinc plura Antiochiae numismata, quae tamen latinis decorantur characteribus. Plura quoque Haebreorum sunt, quae grecas litteras repraesentant. Sunt tamen plura apud Hebraeos numismata, quae hebraicis distincta sunt characteribus, quidquid in oppositum putet Relandus.

Phaenicia numismata ex Maffaei obser-

vatione characteres non habent in girum cussos, sed recta in areis procedentes, quique Orientalium in morem a dextra vergunt ad sinistram. Haec tamen de Phaenicio charactere Asiatico vera sunt. Nam de Phaenicio Africo sive Punico aliter sentiendum. Idioma Punicum, quaemadmodum etiam Punicus character apud Chartaginenses invaluit; idemque adhibitus a Siculis, a Melitensibus, a Gozi insulanis. Quae de characteribus veterum Hispanorum observari possunt, legite apud Vincentium Junium, apud Mahudelium, Gorium, Velasquesium aliosque. Quae de Italorum explicanda idiomate forent, ea videte apud Bonarrotium, Maffejum, Lamium, Passerium, atque Mazocchium. Nihil dico de latina lingua numismatum, de qua consulendi Festus, Terentius Varro, aliique.

Duplex est *leggendarum*, ut inquiunt, genus. Unum, quod per se solum in inversa numismatum parte observatur. Tale est illud, quod Syglis S. C. repraesentatur, nempe, *Senatus Consulto*. Atque hae *leggendae inscriptiones* proprie dicuntur. Alterum est, quod figura orbiculari circa numisma ducitur, illudque inservit vel capiti, vel cuicumque alteri symbolo explicando, quod dextera parte cusum inest, quodque leggenda solet appellari.

Sed de leggendarum positione dicendum. Duo in numismatibus reperiuntur praeter rectam inversamque partem, nempe, id, quod *campum* dicunt, & id, quod *exergum* nominant. Primum est spatium, quod in recta parte capita, in inversa autem symbola occupare solent. Secundum ad illud, quod infra figuras positum est, spatium refertur. Hic naturalis leggendae ordo, ut ea sit cusa in orbem a sinistra ad dexteram vergens, quod familiare in Imperialibus post Nervam numismatibus; aut a dextera ad sinistram, aut partim ad dexteram, partim ad sinistram: quod frequentissime cernitur in numismatibus duodecim primorum Caesarum.

Sed plures sunt in sola *exergi* parte leggendae. Ita nonnullae hac in parte legunt: *De Germanis*, *de Sarmatis* &c. Sunt quoque leggendae ultro citroque lineas parallelas; sunt quae ad angulos ad verticem oppositos intersecantur. Talis est, quae legitur in numismate Julii Caesaris, verbis in inversa parte sese ad angulum intersecantibus.

Quae in leggendis habentur, ea vel ad illum pertinent, cui numismata cusa sunt, vel referuntur ad eum, qui numismata cudenda procuravit, vel denique symbolis explicandis inserviunt.

In grecis Regum numismatibus Principis nomen ut plurimum genetivo casu exprimitur. In latinis consularibus idem nomen nominativo casu effertur. In Imperialibus nominativo vel dativo scribi solet. Graecorum Reges unum nomen habent. At vero Romanorum Praesides, tribus, uti dictum superius est, decorantur nominibus. In latinis vel consanguineorum nomina & munera apponebantur.

Sunt in leggendis praeter eorum nomina, quibus cudebantur numismata, vel nomina illorum, quorum auctoritate & imperio fiebant. Senatum Populumque Romanum hanc consuetudinem habuisse, cudendi viris illustribus numismata, nemo est qui neget. Sed huic jungebantur etiam caetus urbium, provinciarumque. Et quidem urbium non modo quae liberae dicebantur, sed vel coloniae ipsae hoc juris possidebant, quod Maffej pace dictum velim.

Alterum, quod in leggendis observatur, pertinet ad temporis epochas. Harum aliae ad Tribunatus, aliae ad Imp. Consulatus reducuntur.

Tandem leggendae, quae typos spectant in inversa cusos parte numismatum, sunt hujusmodi: *Fides Militum*, *Fides Exercituum*, *Fides Publica*, *Concordia Exercituum*, *Concordia Augustorum*, *Concordia*

Mi-

Militum &c, Item alia: *Moderationi*, *Clementiae*, *Magnificentiae Aug*. Sed hisce substantivis vel perillustria adjectiva apposita sunt. Quemadmodum haec: *Concordia Felix*, *Concordia Æterna*, *Pax Æterna*, *Securitas Perpetua*, *Beata Tranquillitas &c*.

Monitum.

De re numismatica egerunt Sebastianus Erizzus, Antonius Agostini, Ludovicus Savotius, Carolus Patinus, Jobertus, Pompeus Berti, Erasmus Froelichius, Thomas Mangeartius, Zaccaria aliique.

CAPUT VII.

De re diplomatica.

ETsi quae superius de varia ratione codicum diximus, ad rem diplomaticam animum praeparent philosophantis; alia tamen supersunt scitu dignissima, quae erunt in hoc capite accuratius explicanda. Quoniam vero diplomata seu patentes litterae, quae privilegia Principum continent, peculiarem quamdam codicum rationem spectant; hinc iterum erit de iisdem codicibus eo animo pertractandum, ut illorum praecipua haec ratio innotescat. Explo-

rarum est autem, peculiarem hujusmodi rationem ad codicum aetatem referri. Itaque de hoc solum argumenti genere disseremus, postremo loco nonnullas Diplomaticae leges traditurì. Triplex est ratio, qua codicum aetas dignoscitur. Prima desumitur a materia, in qua scriptus est codex. Altera ab adiunctis ipsius codicis ducitur. Tertia a characteribus, quibus idem codex est scriptus, derivatur. De singulis quambrevissime.

§. I.

De materia, in qua scribi codices consuevere.

Post marmorea, aenea, plumbea &c., subjecta, quibus publica describi a veteribus facta consueverunt, caepta sunt a privatis adhiberi folia palmarum malvarumve. De hac consuetudine mentionem faciunt Plinius lib. 13. Cap. 11., & Hysidorus lib. 6. Originum, seu Æthymologiarum Cap. 12. *De libris conficiendis.*

Alia quoque folia adhibita sunt, thyinorum praesertim. Hinc Suidas in dictionario verbo *thyina* ex Wolfii interpretatione haec habet: *Sub Zenone Imperatore, Barnabae Apostoli & comitis D. Pauli, reliquiae in Cypro sunt inventae, & in pectore Barnabae Evangelium secundum Matthaeum,*

thaeum, quod folia thyina habebat, pretiosi ligni genus est thyium.

Aliquane arte hujusmodi folia veteres praeparatint, dubium incertumque. Sed quae sententia id affirmat, ea ex Trombellio probabilior.

Foliis arborum cortices substituti. Hinc idem Plinius loco laudato ait: *quarumdam arborum libris* (supple) *scriptitatum*.

Communius credunt eruditi, inprimisque Servius, & Hysidorus, vocem *liber* proprie loquendo interiorem *corticis* partem significare.

Vel in tabulis perpolitis scriptum esse novimus. Hinc apud Isaiam Cap. 30. *Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum*. Ubi Simmacus, cujus meminit Hieronimus, legit *super latissimam tabulam*.

Foliis & corticibus arborum, ipsisque tabulis adjecta fuere lintea. Idem Plinius haec habet loco laudato: *Mox & privata linteis confici caepta*.

Impressi quoque in cera sunt characteres. Quem morem testatur Hysidorus lib. 6. Æthimol. his verbis: *Cerae litterarum materies, parvulorum nutrices; ipsae dant ingenium pueris, primordia sensus*. Idem quoque Plinius confirmat dicens: *Mox & privata linteis confici caepta, aut ceris*. Nisi tamen ibi legendum sit: *in schedis*.

In libris quoque eburneis, in diptycis facris profanisque, in pugillaribus denique fcriptum a veteribus eft. Hinc Martialis lib. 4. Epigram.

Languida ne triftes obfcurent lumina cerae.
Nigra tibi niveum littera pingit ebur.

Nomine autem librorum hujufmodi veniunt quandoque diptyci, qui facri profanique effe folent. De his egit Senator Bonarrotius, Mazocchius, & fingulari eruditione, Accademiae noftrae Profeffor honorarius, Sebaftianus Donati Lucenfis.

Erant diptyci libri quidam ex duabus tribufve tabulis compofiti. In hoc folum a pugillaribus fecernebantur, quod illi majores, hi vero minores apparerent; praeterea in diptycis extrinfecus nihil fcriptum, omniaque rudia forent; quod fecus in pugillaribus factum eft.

Fuit quoque fcribendi mos in papyro, bombycine, telis lineis, aliifque ejufdem generis fubjectis.

De papyro tractationem dedit Gvilandinus, docte etiam eruditeque fcripfit Montfoconius atque Maffejus.

Ante annum millefimum papyri charta penitus exolevit; idque factum, quod in

ejus locum bombycina charta substituta est.

Tandem in agnorum caprorumque pellibus scriptum. De hac consuetudine consulendus idem Plinius loc. laudato. Multa adhuc supersunt M. SS. in hisce membranis exarata, de quibus videndus Trombellius.

Nulli supersunt codices, qui vel in foliis, vel in arborum corticibus scripti sint. Qui tales videntur esse, ii vel ex aliena materie compacti sunt, vel ad recentiorem aetatem pertinent, cujusmodi sunt codices ab Indis evecti. Hinc in sua Bononia illustrata graviter deceptus est Masinus, scribens, apud S. Salvatorem reperiri scriptum in arboris cortice codicem. Namque is est liber Ester in vituli membrana conscriptus.

Quod spectat vetustatem diptycorum, quae ex arbore confecta sunt, ea a flavo colore dignoscitur. Sed haec aliquando regula fallit.

Hinc tutior ea, quae ab operis nobilitate & artificio desumitur; quemadmodum etiam tutissima, quae a forma characterum ducitur.

Cum charta bombycina decimum saeculum non antecedat; hinc omnes quotquot sunt in eadem charta exarati codices, eodem saeculo recentiores judicandi.

Tan-

Tandem charta, quae ex lino & canabe conficitur, quaeque vel hoc tempore apud nos adhibetur, ea ante decimum tertium Ecclesiae saeculum haud fuit inventa. Hinc, si quos codices in eadem conscriptos reperiemus, eodem saeculo vetustiores esse jure denegabimus.

§. II.

De adjunctis, quorum ope dignosci codicum aetas possit.

Adjunctorum nomine intelligo & quae sunt codicibus intrinseca, & quae extrinseca esse solent.

Principio igitur observandum, qua ratione mensium dies sint in codicibus obsignati. Demptis enim Pontificiis Bullis, Kalendariis, & Nechrologiis, reliqui codices undecimi, duodecimi, decimitertii, ac decimi quarti saeculi peculiarem quamdam rationem dierum signandorum habent.

Hinc pro Kalendis, idibusque hae formulae in usu erant: *Primo, secunda, tertio &c. intrante mense Ianuario, Februario, Martio, Aprili, Majo,* seu usitatius, *Madio.* Absolutis autem quindecim diebus primis, per alios quindecim hac formula descendebant: *Primo, secundo, tertio, &c. exeunte mense Ianuario, Martio*

tio &c. usque ad penultimum diem. In penultimo dicebant: *penultimo die;* quemadmodum in ultimo: *ultimo die &c.* De hac consuetudine videte Rollandinum.

Sed vel frases & vocabula codicum solent aetatem demonstrare. Non enim omni saeculo eaedem voces adhibitae, neque eaedem semper dicendi formulae usurpatae. Saeculo undecimo, duodecimo, ac decimotertio in usu fuerunt barbarae voces *Cataneus, Domicellus, exomologare*, aliaque sexcenta, quorum significationem in foliis barbarorum vocabulorum Lexicis inquiremus.

Ad extrinseca accedamus, quorum nomine formam & ornamentum codicum intelligimus. Ad formam quod attinet, diversa ratione disponi charta in codicibus consuevit. Antiquissimis temporibus scribebatur in charta per se patula, aut ope alicujus vinculi contexta, ex qua tandem *volumen* conficiebatur, ita nuncupatum, quod volvi circa ligneum ferreumve cylindrum soleret. Cumque volumen istud in extremitate figuram haberet humano umbilico persimilem; hinc juxta nonnullos finem imponere, *ad umbilicum ducere* dictum est. Quoniam vero difficillime legi praedicta volumina poterant, ideo post annum millesimum laudatus mos confi-

cendo-

cendorum voluminum vel evanuit penitus, vel in nonnullis ſolum ſcriptis juridicis, operibuſque Judaeorum, atque idem in paucis retentus eſt.

Quaenam fuerint Auguſti tempore adjuncta codicum, quae ornamenta dicuntur, Ovidius explicat 1. *Triſtium*, Elegia 1. ubi caecinit,

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

In Vaticanae bibliotecae Terentio Virgilioque vetuſta ornamenta obſervantur. Quae ſunt frequentiora, ad quatuor capita reduci commode poſſunt. 1. ad chartam coloratam. 2. ad litteras coloratas. 3. ad initiales coloratas. 4. ad titulos coloratos.

Antiquitus, Hyſidoro teſte, adhiberi conſueverat charta colore flavo purpureove tincta. Hinc Hieronimus praefatione in Iob. *Habeant qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis auro argentoque deſcriptos*.

Sed haec, quemadmodum altera, characteribus aureis argenteiſque ſcribendi, breviter exolevit conſuetudo. Maximo quippe diſpendio erat, nec ultra Matyldis tempora locum habuit.

Quod ſpectat initiales litteras, non defuiſſe novi, qui ex varia earumdem forma

ma omnia fere saecula conjectarit. Et quidem usque ad saeculum decimum tertium initiales litterae diversae omnino extitere ab iis, quas hisce temporibus adhibemus. Sunt enim in ratione molis satis oblongae vivisque adspersae coloribus, ac purpureo in primis croceoque colore tinctae.

Verum tutiores regulas ex formis picturisque, quas in codicibus observamus, haurire possumus. Pingendi ars pro ratione temporum varia. Hinc quae picturae ac *miniaturae* ante saeculum duodecimum factae, incomptae deformesque extitere. Dehin absolutiores redditae, ac saeculo decimo sexto versus initium ad summam redactae perfectionem.

Post dimidium saeculi decimisexti jam miniandi ars inolevit. Quae de minio figuris tinctis, earumque imperfectione dixi, ea de latinis intellexi. In graecis enim libris medio etiam aevo optimae figurae observantur.

Mosaici omnes, qui a sexto saeculo usque ad duodecimum facti sunt, ii Ciampinio teste, Graecorum opera dici debent. At vero cum Abbas Montis Cassini, postea Cardinalis Desiderius, Abbatialem Ecclesiam restauraret, Graeci artifices sunt convocati, quorum disciplina Monaci cum in

mosai-

mosaicis, tum in aliis liberalibus artibus profecere; unde Italiae honos Monachorum opera restitutus.

§. III.

De characterum varietate, ex qua codicum aetatem conjectare liceat.

Omne scripturae discrimen ex quatuor praecipue fontibus hauriri potest. 1. Ex litterarum distributione. 2. Ex earum forma. 3. Ex earum contractionibus & nexibus. 4. Ex earum interpunctione caeterisque orthographiae legibus.

Litterarum distributio in vetustissimis latinis codicibus ita facta est, ut ubi nulla sunt carmina, columnarum formam lineae repraesentent. Hinc per exiguas columnas exaratum celebre Evangeliarium S. Eusebii Vercellensis. Eadem forma conscriptum Evangeliarium Capituli Veronensis &c. At id de usitatiori scribendi ratione intelligendum. Sunt enim vetustissimi codices, qui integras in omni paginarum parte lineas exhibeant.

Altera, quae litterarum distributionem spectat, regula est, ut ante octavum Ecclesiae saeculum, aut saltem nonum in omnibus ferme codicibus nulla sit inter

unum

unum alterumve vocabulum ſpatii diſtinctio. Quippe eadem ratione proximitatis, qua litterae ſcribebantur ad unam vocem pertinentes, finales quoque ſcriberentur in ordine ad initiales conſequentium.

Cum vero nono ſaeculo, imperio & voluntate Caroli Magni orthographia reformata fuerit; hinc ſaltem a Monacis in ſcribendo ſervatae diſtantiae. Reliqui usque ad faeculum duodecimum vocabulorum retinuere confuſionem, iis exceptis, quae majoris viſa ſunt ponderis momentique.

Litterarum apud veteres duplex forma. Vel enim *majuſculo*, vel *minuſculo* charactere utebantur. Qui codices majuſculo ſcripti ſunt charactere, ii milleſimum aerae vulgaris annum non excedunt.

Quum primum majuſculi characteres deſiere, ſtatim conſecuta in minuſculis mutatio eſt. Siquidem haſtae ſuperiores inferioreſque in longum protractae. Littera majuſcula A uſque ad decimum tertium ſaeculum abſque linea media Graecorum in morem repraeſentata. Sed hoc tempore hujuſmodi mos inolevit.

Ante ſaeculum undecimum vix vocabula contracta repereris. Itaque contractiones caepere, ubi vulgaris eſſe caepit minuſculus character; quae ineunte

Scho-

Scholasticorum regno auctae, & arbitratu scribentium ad summam celeritatem deformes, variae, ac intellectu difficillimae constitutae.

Haec scribendi ratio decimoquinto saeculo in publicis scripturis exolevit. Sed diu retenta apud Scholasticos, atque etiam ab ijs servata Typographis, qui opera D. Thomae, Bonaventurae, Alberti Magni & Scoti edidere. Donec decimo sexto Ecclesiae saeculo omnes litterae apponerentur in scribendo, maximo commodo & utilitate legentium.

Nexus a plurium litterarum societate fiunt. In Virgilio Laurentianae bibliothecae quam saepissime reperitur littera T cum littera N per modum unius copulata. Post saeculum undecimum hujusmodi mos frequentissimus. Unde nata fere apud omnes intelligendi mira difficultas. Tandem saeculo quinto ineunte evanuit penitus. Superest interpunctio atque orthographia. Ea varie reddita a vetustis Scriptoribus est. Sed Caroli Magni temporibus, opera Alcuini, & Pauli Walnefridensis reformata. Quod potissimum in Homilijs S.S. P.P. atque in nonnullis D. Augustini epistolis locum habuit. Saeculo autem decimo quinto ea orthographiae ratio invecta, quae vel his temporibus solet adhiberi.

Caete-

Caeterum in Diplomaticae usu has leges accurate servabimus.

Lex I. *Sint ad manus genuina diplomata illorum Principum, quorum nomen referunt dubia diplomata, ut mutua illorum comparatione tutius judicium efformetur.*

Lex II. *Stili quovis saeculo & regno obtinentis ratio habeatur. Plerique Principes suum incipiendi & finiendi diplomata morem habuere; ex quo sinceritas innotescit.*

Lex III. *Probe examinetur tempus adscriptorum diplomatum, & chronologiae calculus ineatur.*

Lex IV. *Videndum, an aera vulgari & usitata temporis supputatione notentur diplomata.*

Lex V. *Conferantur studiose diplomata cum historiis particularibus moribusque illarum gentium & Regum, a quibus olim data fuisse contendimus.*

Lex VI. *Monogrammata & subscriptiones Principum, aut Cancellariorum, aut Logothetarum severe examinentur.*

Lex VII. *Sigilla diplomatum diligenter recognoscantur, an genuina sint, integra & incorrupta, an vero potius ex alienis instrumentis fraude ac dolo adsuta?*

Lex VIII. *Iuverit & materiam, super qua mos erat diplomata conscribendi, bene examinasse.*

Lex

Lex IX. *Perpende, quo atramenti genere diploma sit exaratum.*

Monitum.

De re diplomatica vide Conringium Ludowigium, Petitum, Papebrochium, Germonium, Sartorium Ursatum, Iustum Fontaninum, Godefridum Abbatem Gotwicensem, Scipionem Maffejum, Hergottum, in primisque Ioannem Mabillonium, & post eumdem consule Trombellium.

DIALE-

DIALECTICARUM

INSTITUTIONUM

LIBER SECUNDUS

De consequentiis in omni ratiocinio rite deducendis.

Cum bene provisa diligenterque explorata principia fuerint, veniendum est ad legitimas consecutiones, provinciam alteram animi differentis, a qua praecipue omnis ratiocinii vis atque potestas pendet. Miror, tam exiliter jejuneque a Dialecticis nostris de hoc argumenti genere disputatum, perinde ac si vera non esset magni Tullii sententia: *In verbis conjunctis quod non est consequens vituperandum est.* Iam vero consecutiones seu consequentiae ita dicuntur à consequendo; consequentium autem ratio triplex. Nam 1. Necessaria. 2. Probabilia. 3. Systematica sunt.

PARS PRIMA.

De consequentiis necessariis.

Quae ita ab antecedentibus proficiscuntur, ut ab iis nequeant non proficisci, eae necessariae dici consecutiones solent. Atque hae quidem vel id habent, in quo conveniant universae, vel referunt id, in quo a semetipsis invicem discrepent. De singulis ex more instituque breviter.

CAPUT I.

De eo, in quo hujusmodi consequentiae conveniunt.

In omni necessaria consecutione id veluti essentiale atque commune est, ut principio huic metaphysico innitatur: *Possibilia in oppositum necessarias consequentias excludunt*. Neque enim alia de causa necessariae dicuntur hae consequentiae: Est circulus; Ergo *omnia peripheriae puncta aeque distant a centro*. Est dies; ergo *sol hemisphaerium nostrum illuminat*. Est vir prudens; ergo *minime sibi necem intulerit*: nisi quia fieri nulla ratione potest, ut sit figura,

gura, quae circulus appellatur, & una ſimul aeque diſſita a centro peripheriae puncta non habeat; ut ſit dies, & una ſimul non ſit emiſpherij noſtri irradiatio ſolaris; ut quis ſit prudens, & una ſimul a nece ſibi inferenda non abſtineat. Sed cum ea, quae in oppoſitum impoſſibilia dicuntur eſſe, triplicem rationem habeant; ſunt enim vel mathematica, vel phiſica vel moralia; hinc de conſequentiis juxta triplicem hunc ordinem diſſeremus.

§. I.

De conſequentiis mathematice neceſſariis.

Quae tantam habent inter ſe cognationem, ut neque divinitus ea tolli poſſit, mathematice neceſſaria conſequentia dicuntur. Ad hoc genus reduci debent quae ſunt in Geometria legitima abſtractae extenſionis conſectaria. En exempla.

Demonſtratum eſt a Geometris, rectam ſuper rectam conſiſtentem aut duos rectos angulos facere, aut duobus rectis aequales. En principium.

Ergo *ſi plures rectae, quam una, eidem rectae ad idem punctum inſiſtant, angulos efficient duobus rectis aequales.*

 Ergo

Ergo *duae rectae se invicem secantes efficient angulos duobus rectis aequales.*
Ergo *omnes anguli circa unum punctum in intersecatione rectarum constituti quatuor rectis aequabuntur.*

En consequentiae adeo necessariae, ut neque divinitus aliter esse possint.

Demonstratum item, omnis trianguli tres simul angulos duobus rectis aequales esse. En principium.

Ergo *si in triangulo unus rectus aut recto major est angulus, reliqui erunt acuti.*
Ergo *si in triangulo unus angulus est rectus, reliqui duo simul etiam unum rectum conficient.*
Ergo *cum noverimus, quot graduum sit unus angulus in triangulo, noti erunt duo reliqui simul & vicissim.*

En consequentiae, quarum cum principio arcta cognatio est, mathematica cum eodem copulata ratione.

Illud fortasse a me quaerent nonnulli, sintne extra mathematicas disciplinas, quae ex positis principiis mathematica ratione deriventur, consecutiones. Quibus facillime satisfactum putaverim, si advertam,

tam, ideis rerum cognitis perſpectiſque, omnia, quae cum iis ſunt neceſſario vinculo copulata, ad hoc genus conſequentiarum reduci commode poſſe. Hinc ſemel conſtituta corporis idea, ſtatim neceſſario ſequitur, illud extenſum eſſe, diviſibile, impenetrabile, iners &c. Semel conſtituta idea animorum, neceſſario fit conſequens, ut in iis etiam percipiendi, appetendi, averſandique ratio agnoſcatur.

Cum Berolinenſis Accademia anno 1758. atque iterum 1761. quaeſiiſſet: *An leges motus & aequilibrii ſint veritatis neceſſariae, an contingentis*, doctiſſimus vir Alambertus jure diſtinxit inter leges motus, quae ab impulſione proveniunt, & eas, quae ex libera pendent voluntate Conditoris. Atque hinc illas veluti a corporum natura proficiſcentes neceſſarias, has vero omnino contingentes affirmavit. Quod certo nobis argumento eſt, vel in rebus ad Phiſicam pertinentibus neceſſarias mathematica ratione conſecutiones haberi.

Quid ſi vel in moralibus hoc genus conſecutionum appareat? Pone tibi prae mentis oculis veram germanamque virtutis vitiique indolem, atque hinc nega, ſi potis es, conſequentia hujuſmodi: juſtitiam, nimirum, inter bona, injuſtitiam vero inter mala eſſe recenſendam. Nega

furtum esse fugiendum, quod vitii genus est. Nega humanitatis excolenda officia, quod species virtutum extent.

§. II.

De consequentiis phisice necessariis.

Duo sunt in phisica rerum constitutione distinguenda. Alia, nimirum, quae rerum rationibus semel positis, sponte veluti sua ab iisdem necessario consequuntur; alia, quae praecipuo quodam jure fortuita dici possunt, eaque ex sola Conditoris voluntate, sufficientem, uti dicunt, rationem hauriunt. De primo rerum genere satis dictum superius. Nunc de altero in ordine ad necessarias consecutiones.

Atque illud in primis certum est, consequentias, quae ad hoc genus reducuntur, non nisi ab observationibus experimentisque nostris deduci posse. Hinc si male antecedens illud fuerit constitutum, nulla omnino erit vis consequentium.

Plures sunt qui ex uno alterove experimento, ex una alterave observatione conclusionem inde universalem colligunt. Ita Bonnetus, vir caeteroquin doctissimus in sua *Palingenesia* ex peculiaribus phaenome-

nis

nis catholicam reproductionis legem est derivatus.

Alii eam ab experimentis consequentiam ducunt, quae prima se illis offert. Ita cum Boylius aquae vi ignis diu expositae superesse terram adverterit, unius elementi in alterum argumentatus est conversionem. Fuit enim haec prima, quae se illi offeret consecutio. Interim idem experimentum repetenti Boerhavio cognitum perspectumque, deberi aquae, cui admixta erat, terram superstitem.

Alii, dum observant & experiuntur, a concomitantibus inferunt rationem causae, fitque per eos consequens, quod mera conditio est. Ita Peripatetici quod plura animalia de insectorum genere in ipsa nasci putredine intuerentur, illud uti consectarium effecere, putredinem ipsam veram animantium esse effectricem causam.

Neque desunt, qui observando & experiundo ea colligunt, quae opticarum illusionum sunt consequentia. Hoc vitii genere plurimum laboravit Lewenoechius, Turnefortius; ipseque Cl. Pater a Turre in statuenda figura globulorum sanguinis haud immunis ex Fontanae nostri observatione ab eodem fuit.

Tandem plerique etiam semel constituto rerum systemate, sepositoque ulterius

investigandi onere, ad illud tamquam ad aram deducendo confugiunt, referuntque universa. Ita Cartesiani multiformi praescripta subtilis materiei ratione, ab ea quorumcumque phaenomènorum explicationem duxere. Sed de hoc inferius.

At id neque rite argumentari est, neque consequentias phisica ratione necessarias inferre. Quamobrem ad hujusmodi consecutiones eliciendas, videndum erit 1. num clare & evidenter pateat, prodire eas ex nostris experimentis atque observationibus. 2. Num certo constet, easdem solas esse, quae ab nostris inferri antecedentibus possint. Si enim, uti diximus, possibilia in oppositum necessarias consequentias excludunt, immerito a nobis erit necessarium veluti consequens reputatum, quod plura aeque possibilia in contrarium admittat.

Sed quoniam in rebus phisicis inductionis argumento utimur frequentissime, praeter ea, quae libro primo de vera falsaque analogia sunt dicta, vel haec de inferendis ab ea consecutionibus adjungemus. Quadruplex analogiae in deductione locus. Vel enim ea adhibetur in corporum proprietatibus dignoscendis, vel in dimetiendis viribus, vel in mechanismo partiumque dispositione statuenda, vel tandem

in

in definiendo naturae ſtatu, in quo a ſenſibili ut plurimum ad inſenſibile ducimur.

Ad proprietates quod attinet, ſi eae *intendi*, ac *remitti* nequeant, cujuſmodi *ſoliditas*, *inertia*, *mobilitas &c.* ineluctabilis eſt analogica ratio deducendi. Sin vero incremento decrementoque ſubiiciantur, iterum diſtinguendum eſt. Aut ipſa viciſſitudo legibus coercetur, aut non. Si primum, firmiſſimum eſt analogiae argumentum. Exempla habes in gravitatibus & attractionibus. Sin vero alterum, anceps eſt analogia deductionis.

De viribus facultatibuſque ſpectanda ratio adjunctorum eſt. Vel enim debitae circumſtantiae eadem ratione inſunt, vel circumſtantiae hujuſmodi inter ſe diſcrepant. In primo caſu analogia numquam fallit; in altero quam ſaepiſſime in errorem inducit.

Quod ad partium mechaniſmum refertur, id vel *eſſentiales*, aut ſaltem neceſſario requiſitas partes complectitur, vel *accidentales*, ſeu *integrantes* ſpectat. Illud tutiſſima utitur lege inductionis. Hoc ſola analogia fallit decipitque. Demum quoad ſenſibilem & inſenſibilem naturae ſtatum, de recto analogiae uſu certant philoſophi inter ſe, & adhuc ſub Judice lis eſt. At ſi ab ijs, quae eſſentialia di-

euntur esse, paulisper divageris, nescio, an tanta sit naturae simplicitas, quanta ad firmam analogiae legem praerequiritur.

Hisce cautionibus opus habent Phisici, ne naturae tribuant humanae mentis figmenta, opus habent Medici, ne salutari arte abutantur ad interitum. Et Medicorum quidem accuratior sit oportet ratio argumentandi. Nam si multiplicia genera morborum in multiplici climate, temperamento, adjunctisque variam expostulat medicinae dosim ac genus, quanto mentis conatu, quantave prudentia opus erit, ne, quod Plinius inquit, *discant periculis nostris, & per experimenta mortes agant.*

§. III.

De consequentiis moraliter necessariis.

Moralis ratio, quae solis percipientibus libereque appetentibus animis convenit, ex triplici fonte manat: nimirum, ex lege naturae, ex praescriptione societatum seu Moderatorum earumdem, ex hominum denique usibus atque consuetudinibus.

Iam vero, si leges sunt naturae morales, quemadmodum phisicae naturae praescriptiones extant, quis dubitet, necessa-

rias consequentias vel in morali hominum constitutione duci posse? Praeterea si quae leges naturam corporum consequuntur, eas mathematice necessarias dixere philosophi, ejusdem necessitatis dicamus eas consecutiones oportet, quae ex morali hominum natura derivantur.

Hinc Lokius morales disciplinas, quae ex naturae praescriptionibus constant, aeque ac mathematicas *apodicticae* demonstrationis capaces esse substinuit. Et jure quidem. Quid enim aliud est *apodictice* demonstrare, quam ab evidentibus principijs ea evidenter certa colligere, quae sunt cum iisdem principiis evidenti ratione colligata? Patet autem, moralia naturae hominum principia evidentia esse. Patet, ab iis evidentes duci consecutiones. Patet igitur *apodicticae* demonstrationi locum in moralibus reperiri.

Secus de duplici alio moralitatis fonte putandum est. Nam quae societates, quaeque earumdem Moderatores propriis sanctionibus imperarunt, quae usus & consuetudo praescripsere, ea ut pote liberrima, & innumeris fere subjecta vicissitudinibus, non adeo constantem, neque, adeo immutabilem naturam habent, ut necessarias mathematicum in morem consecutiones agnoscant. Bona quidem ea

 sunt,

ſunt, quia praecepta, mala ſunt, quia prohibita. At cum non praecipi, non vetari potuerint, neque illa bona neceſſario ſunt bona, neque iſthaec mala neceſſario mala ſunt appellanda.

Moralitatis rationem illam praetermitto, quae a divina revelatione proficiſcitur. De ea enim inferius erit pertractandum.

Monitum.

Quae de conſequentijs hactenus diſſeruimus, ea nonniſi ſtudio diſciplinarum, peculiares Tractatores legendo meditandoque, poſſunt obſervari. Conſulite igitur Geometras, Phiſicos, Iuriſque naturae ſaniores Interpretes.

CAPUT II.

De primo hujuſmodi conſequentiarum diſcrimine, evidentia.

Quae de conſequentiis neceſſariis cum evidentia conjunctis dici poſſunt, ea ab ſcientiae explicanda ratione omnino pendent. Hujus itaque erit indoles exponenda, quo facilius illa intelligantur.

§. I.

§. I.

De Scientia.

Scientiae nomen latiſſime quibuſcumque ſive humanis ſive divinis cognitionibus tributum eſt. Sed illud proprie cognitionem certam atque evidentem rationis comparatam uſu ſignificat. Hinc ſolae naturales, quae ſeveris utuntur demonſtrationibus, diſciplinae praeclaram ſibi ſcientiae jure vendicant appellationem. Hujuſmodi ſunt facultates Mathematicae, Phyſicae, Morales, atque in pauciſſimis Metaphiſicae.

Itaque in omni ſcientiae genere quod primo requiritur eſt *cognitio certa*. Dubia enim mereque probabilia non ſcientiam, ſed aut errorem, aut opinionem generant. Deinde ſcientiarum certa cognitio ſummam praeſeferre *evidentiam* debet. Namque obſcura, & quae abditis ſunt involuta myſteriis, potiſſimum ſi cum fide divina copulentur, longe nimium a ſcientiae ratione diſtant.

Evidentiam definitem, ſi, quemadmodum Genuenſis ait, evidentiam haberem evidentia ipſa clariorem. At cum id ſit ἀδύνατον, illud ſolum cum Dialecticis obſervavero, quietam pacatamque dari ani-

morum assensionem, ubi evidentiae splendor affulgeat. Edepol! Quam pacata & quieta non est animorum assensio, cum Geometrarum sive principia, sive inde ducta consectaria intuemur.

Sed evidentia duplex: *realis*, nimirum, atque *apparens*. Illa clare contemplamur quae sunt in se, quemadmodum nobis videntur esse; hac vero quasi praestigiis illudimur, putamusque rem eum in modum esse, tametsi nullacthenus sit. Multa sunt, quae in ideis claris atque distinctis apparent nobis omnino verissima; interea deliramenta sunt animi ratione abutentis.

Veri criterium seu tessera evidentia realis est, quam in plurimis reperiri certum exploratumque, quidquid in oppositum fatuitate quadam dixerint Sceptici atque Pyrrhonici. Hinc etsi plura ignoremus; plura tamen certo evidenterque scimus, quorum alia ad simplicem, uti dicunt, *intuitionem*, alia ad demonstrationem pertinent. Ita probe novimus vivere, dum vivimus, cogitare, dum cogitamus, dolorem aut voluptatem sentire, dum alterutra afficimur sensatione: quae simplicis *intuitionis* dicuntur esse. Ita multa apud Mathematicos, multa apud Phisicos, multa apud alios disciplinarum Tractatores in-

veniun-

veniuntur egregie demonſtrata. Itaque oleum operamque perdunt, qui in Scepticiſmo confutando diutius, quam par eſſet, verſari volunt. In quam repraehenſionem incidiſſe Cruſatium, omnes intelligunt.

Duplicis autem generis eſt Scepticiſmus. Immoderatus, nimirum, atque aeffrenis, caſtigatus & ſobrius. Ille cum rerum omnium dubitationem perpetuo foveat excolatque, dementiae argumentum eſt. Hic cum eadem dubitatione utatur ad examen, ne incognita pro cognitis habeat, hiſque temere aſſentiatur, viam ſapientiae parat, inveniendoque non minus, quam demonſtrando eſt opportunus.

Quaevis demonſtratio vel *a priori* eſt, vel *a poſteriori*; vel *directa*, vel *indirecta* eſſe dicitur. Vocant demonſtrationem a priori, quae ex cauſa certa & evidenti certum item evidentemque effectum infert. Sic ab exiſtentia ignis caloris exiſtentia, ab exiſtentia ſolis exiſtentia diei a priori demonſtrantur. Eſt autem demonſtratio a poſteriori, quae ab effectibus exploratis claras perſpectaſque deducit cauſas. Sic dum ab exiſtentia mundi exiſtentia Conditoris, ab exiſtentia reſpirationis animantis vitae exiſtentiam colligo, dicor haec omnia a poſteriori demonſtrare.

Demonſtratio directa vocatur, quae

ex

ex cognita rei idea, numquam interrupta judiciorum ferie, ad confequentia progreditur. Quae vero non ab ipfa rei idea, quae ignoratur, fed a reliquorum demonftrata pugna quidpiam infert demonftratque, ea folet indirecta demonftratio appellari. Frequentiffima funt apud Geometras exempla indirectae demonftrationis, ubi quidpiam *ad abfurdum* reducunt.

Duo funt in demonftratione indirecta diligenter praecavenda. Primum, ne quae pugnantia putamus effe, nomine tantum pugnantia dicantur. Deinde, ne imperfecta fit exclufarum partium enumeratio. Æque enim per diminutam enumerationem partium, ac per ea, quae minime pugnant, vis atque poteftas tollitur demonftrationis hujus. In extenfione geometrica duo haec incommoda facillime vitari poffunt. Secus in alio genere difciplinarum evenit.

Demonftrationis ope judiciorum noftrorum cum rebus ipfis abfoluta confenfio obtinetur, quae *veritas* appellari *logica* confuevit. Ad hanc fumus a natura quodammodo facti, in primifque hominis eft propria veri inquifitio atque inveftigatio. Cum enim fumus neceffariis negotiis curifque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addifcere, cognitionemque rerum

aut

aut occultarum aut admirabilium ad recte vivendum necessariam ducimus.

Atque hinc clarior scientiae indoles apparet; tutissimus, nempe, mentis assensus, praeclaro demonstrationis beneficio comparatus. Sed scientiarum aliae *speculatrices* ac *theoreticae*, aliae *practicae* dicuntur. Primae simplicem spectant veritatis contemplationem. Hujusmodi sunt *Mathematicae*, *Phisicae*, *Metaphisicae &c.* Postremae, quibus uti rebus quibusue rationibus, ad recte operandum oporteat, docent, & luculenter exponunt. Ad hoc genus *Moralis*, *Medicina*, *Dialectica* ipsa reduci commodo potest.

Praeterea scientiarum aliae a veteribus inventae, aliae a recentioribus excogitatae, aut saltem auctae amplificataeque sunt. *Areometria*, *Diotpriça*, *Analysis algebraica* recentioribus tribuenda; *Phisica*, *Mechanica*, *Astronomia* ita concedenda veteribus, ut tardis nepotibus, Galileo inprimis nostro praecipuo jure adscribantur. Unde perfacilis illa quaestionis solutio: *Majoribusne sint antepunendi Nepotes, in eo, quod spectat laudem inventionis*.

§. In

§. II.

Quemadmodum in ſcientiis haberi poſſit evidentia conſequentium?

In una ſyllogiſtica arte conſequentium haberi evidentiam poſſe olim ab Ariſtotele putatum eſt. Hinc ille demonſtrationem explicaturus, eam *ſyllogiſmum* eſſe dixit, *cujus praemiſſae ſint verae, neceſſariae &c.* Sed quam longe a veritate abherrarit vir acutiſſimus, nemo eſt qui non videat, ſi ad geometricam diſſerendi rationem, quae *ſoritica* dicitur, attendamus. Alii in ſolo Sorite hujuſmodi evidentiam poſuere, quos inter laudandus, eloquentiſſimus Deceſſor noſter, Janus Gvalbertus De Soria. Sed hoc etiam, ſi quid video, minus accurate dictum eſt. Neque enim evidentia Matheſeos ab extrinſeca pendet forma ratiocinandi.

Itaque dum conſequentium evidentiam quaerimus, intrinſeca nobis erit ejuſdem demonſtrationis ſpectanda ratio. Si enim in ea non modo certa, ſed etiam evidentia adhibeantur principia; ſi quae cum hiſce principiis neceſſaria quadam & evidenti copulata ratione ſunt, ea quoque evidentia cernamus eſſe, tunc de conſequentium evidentia gloriabimur.

Fac tibi evidenter demoſtratum principium iſtud geometricum: *In omni triangulo rectangulo quadratum hypothenuſae aequale eſt duobus ſimul reliquorum laterum quadratis*. Jam iſthaec tibi ſeſe offert evidentia conſequentium.

Ergo *ſi triangulum rectangulum latera habeat circa angulum rectum aequalia, quadratum hypothenuſae duplum erit quadratis laterum reliquorum.*

Ergo *ſi in triangulo quadratum unius lateris majus fuerit quadratis laterum reliquorum, angulus quoque eidem lateri oppoſitus recto major erit.*

Ergo *ſi in triangulo quadratum unius lateris minus fuerit quadratis laterum reliquorum, angulus quoque eidem lateri oppoſitus minor erit recto.*

Geometrarum exempla ſecutus, eamdem deducendi rationem reliquis etiam diſciplinis aptato.

Obſervatione recentis Aſtronomiae detectum eſt, cometas ſuas habere periodos, ſuas leges in orbita percurrenda ſervare, ſtatiſque proinde redire temporibus. En principium evidens, de quo ſi veteres dubitarunt, in tanta Aſtronomiae luce dubitare nemini liceat. Vide evidentiam conſequentium.

Er-

Ergo *cometae non sunt lumina, quae a vaporibus generentur in dies, quemadmodum falso a veteribus putatum est.*

Ergo *sunt lumina ab exordiis progenita universitatis hujus.*

Ergo *ea inter reliquorum planetarum numerum recensenda.*

Ergo *eorum reditus non ad incutiendam divini Numinis formidinem, sed ad servandum naturae ordinem referendi.*

Observatione Chiseldeni patet, oculum ante diuturnum visionis experimentum nihil a se distinctum animis repraesentare, omnia confuse in semetipso exhibere, donec accedente tactus institutione objectorum distantias, figuras, magnitudines discat quodammodo intueri. Est hoc principium, quod axiomatis loco haberi potest. De quo, si vacat, Diderotium, Smyth, Condillacum consulite. Quaenam sint cum eo evidentissime colligata, nunc intuiminor.

Ergo *oculus se solo objectorum distantias, magnitudines, figuras haud percipit.*

Ergo *oculorum quasi institutor tactus.*

Ergo *quae videmus, associatis oculi tactusque ideis intuemur.*

Ergo *verum, quod Malebranchius conjectan-*

stando dixerat, cum sensationibus nostris plura commisceri animorum judicia.

Ergo *Molinaei problema de caeco nato negative solvendum est, licet diversa ratione ab ea, quam secutus est Lokius.*

Experimentis & observationibus Sanctorii compertum est, optimam valetudinem ab aequabili in primis corporum nostrorum transpitatione pendere. Evidentissimum principium hoc est. Evidentissima, si sapias, & ad vitae conservationem opportuna ducito inde consectaria.

Ergo *cave, ne aequabilem hujusmodi transpirationem impedias.*

Ergo *motu, cibo, potione, somno utere ad sobrietatem.*

Ergo *indumentis utere, quae anni temporibus, ac tuis aptata sint temperamenti rationibus.*

Ergo *animi pathemata devitato.*

Denique constat, hominem ad societatem quiete pacateque servandam a natura comparatum, quidquid in oppositum *Mysanthropia* ductus, Russojus habeat. Hoc est principium, de quo communis viget hominum consensio. Ex eo autem hae fiunt evidentissimae consecutiones.

Ergo

Ergo *quae faciat homo ad hanc societatem servandam faciat necesse est.*

Ergo *quae servandae huic societati opponuntur, ea fugiat oportet.*

Ergo *neminem laeserit. Quod si laeserit, in integrum restituat.*

Ergo *aliis, si possit, consilio, opera, ac reliquis humanitatis officiis opituletur.*

Perfacile est, quaenam sit proxime consequentium evidentia, in omni ratiocinii genere definire. Prima enim idearum vincula rationesque vel nolentibus aliquando apparent. At vero ubi longius ab hac evidentia processeris, ubi ad remotas, ut ajunt, consecutiones divageris, hoc opus hic labor est. Pauci, quos aequus amavit Juppiter, eo pollent ingenio, ea mentis vi ac facultate pollent, qua longa judiciorum quasi serie consequentia hujusmodi feliciter fortunateque ab antecedentibus eruant.

Ars typographica, quae cum arte cudendi numismata copulata videtur - esse, quamdiu latuit apud mortales! Electricitatis phaenomena, potissimum quae in boreali aurora contingunt, aeque veteribus ac recentioribus perspecta & cognita. Interim quae verae consecutiones erant ab hisce phaenomenis deducendae, nostris hisce

tem-

temporibus Francklini & Becchariae opera detectae funt. Magnetis ad polos detecta eft inclinatio, nemine per integrum faeculi intervallum de ejufdem adplicatione ad navigationis ufum cogitante. Norant veteres, ex Senecae teftimonio, vitreis fphaerulis aqua plenis objectorum augeri diametrum. Sed quamdiu abfque microfcopiis fuimus!

Haec & alia plura ab Alamberto relata fatis oftendunt, quam lente, perplexim, timideque animus differendo ad confequentium detegendam affinitatem afcendat. Quod fi vel in iis, quae affinia funt, diu multumque latuit evidentia confequentium, quanto magis ea, quae longo inter fe diftant affinitatis intervallo, difficillime patere nobis poffunt.

Curandum itaque, ut vel remotiora mentis quafi conatu perfequamur. Quod quanam arte poffit obtineri paucis explicavero. Oculus ad longinqua objecta contemplanda telefcopio utitur. Attentio quafi mentis telefcopium eft. Ea igitur in antecedentium clara diftinctaque idea efformanda, ea in eorum vinculis atque affinitatibus perfcrutandis, ea in novis comparationibus inftituendis, non femel aut bis, fed iterum iterumque, centies & plus quam centies utemur ad utilitatem. Quoniam

ve-

vero necessaria isthaec operatio sua debet exercitationi incrementa, nullumque studium est, quod in eadem excitanda colendaque possit cum mathematicis disciplinis comparari, ideo in hoc praecipue disciplinarum genere exercendus animus, quo facilius discat remotiora contemplari.

Monitum.

De necessariis atque una simul evidentibus consequentiis consulendi Geometrae, Analytici, & si qui sunt, qui horum tutissima exemplaria sequantur. Quae enim studia attentionem fovent, ea necessarias evidentesqne consecutiones perpetuo exhibent.

CAPUT III.

De altero bujusmodi consequentiarum discrimine, obscuritate.

TAmetsi quae ab antecedentibus necessario & evidenter consequuntur, una simul clara & obscura esse nequeant; plura sunt nihilominus, quae vel ubi perspicuam cum principiis habent cognationem, summam in se obscuritatem praeseferunt. Sunt haec aenigmata, involuta mysteria sunt, quorum existentiam nec Geometra, nec Analiticus,

nec

nec ipse Phisicus ignorare potest. Videte Alambertum, P. Fontanam, aliosque. Consequentium igitur, quae necessaria dicuntur esse, alia *evidentia*, alia *obscura* vocabuntur, atque haec erunt hujusmodi consequentiarum discrimina. Quod ad nos attinet, necessariae consecutiones, quarum perobscura ratio est, praecipuum locum in divina fide sibi vendicant. Hinc de hoc fundamento agendum nobis est.

§. I.

De fide Divina.

Divina fides supernaturalis eaque firmissima assensio est, ab humana mente revelatis a Deo rebus exhibita, propter auctoritatem revelantis. Ea quatuor veluti certa & inconcussa supponit. Nimirum, 1. Deum existere. 2. Eum summe veracem esse. 3. Ipsum ea, quibus assentimur, revelasse. 4. Revelata isthaec omnino incorrupta nullique vicissitudini subjecta extitisse.

Deum extitere, quis dubitet? Nihil in hac rerum universitate aut pulchrum visu aut adspectu delectabile est, ex quo tamquam uberrimo fonte ad unius supremae causae existentiam demonstrandam hauriri nequeant argumenta gravissima.

Eum

Eum summe veracem esse, sibi facile suaserit, qui ad summam Dei perfectionem velit attendere. Est enim Deus, Anselmo definiente, *id, quo nihil melius potest excogitari*. Fac igitur illum in re quoque levi mendacem esse. Jam quid eo melius excogitari poterit.

Ipsum ea, quibus assentimur, revelasse, certum exploratumque. Miraculis enim & prophetiis, doctrinae consensione, ejusdem sanctitate, ac vetustate, judicio in primis Ecclesiae gravissimo, & maximo id credimus.

Denique *revelata isthaec incorrupta, nullique vicissitudini subjecta extitisse*, pro certo habemus, tum quia veteris Testamenti sedulam Hebraei, Novi autem Christiani curam habuere, in primisque Ecclesia *sacri* custos *depositi*, utrumque ab omni penitus labe alienum, sarctum tectumque servavit.

Est itaque *rationabile obsequium nostrum*. Quod divina fide tenemus, indubium est, sed certitudinis moralis haud praetergreditur fines. Est certum, sed non evidens, cum juxta Apostolum, fides sit *sperandarum substantia rerum, argumentorum non apparentium*.

§. II.

§. II.

De consequentiis ex divina fide deductis.

Quemadmodum divina fides certa atque indubia est, ita certae indubiaeque, quae ex ea derivantur legitimae consecutiones. Quis enim tamquam de fide reputans, dari in divinis Personarum Trinitatem, de hac conclusione dubitet: Ergo *haeretici ii omnes, qui eamdem Trinitatem impugnarunt*? Quis certo credens verum esse, quod ait Servator: *Ego & Pater unum sumus*, de hoc consequenti ambigat: Ergo *Filius consubstantialis est Patri*? Quod in Nicaena Synodo statutum est adversus Arrium.

Sed consecutiones hujusmodi, quae cum principiis arctissimo vinculo copulantur, non eam in fide praeseferunt evidentiam, quam mathematica & physica solent exhibere. Cum enim fidei principia non sint per se nota, quin imo ea perobscura & inevidentia dicantur, neque inde ductae conclusiones ita mentibus affulgent, ut clarae atque perspicuae dici jure meritoque possint.

Hinc D. Thomas dum 2. 2. quaest. 1. art. 5. quaerit: *utrum ea, quae sunt fidei,*

 pos-

possint esse scita? nixus hoc axiomate: scientiam omnem per sola principia, quae per se nota sint, haberi posse, concludit: *Quod communiter omnibus proponitur hominibus ut credendum, est communiter non scitum*. Quod si *non scitum*, neque evidens esse poterit.

Quod si ad veram scientiam triplex evidentia requiritur, quarum una sit idearum, ex quibus constant principia; altera idearum, ex quibus consequentia coalescunt; postrema denique cognationis, quae inter principia & consequentia reperitur; inde fit, in rebus, quae ad fidem attinent, unam solummodo harum evidentiarum haberi posse, eamque deductione ipsa unius ex altero contineri.

Dixi, consecutiones, quae ex fide hauriuntur, cognatione sua cum principiis evidentissimas esse. Sed id, non de omni consecutionum genere intelligendum. Quae enim ab Ecclesia universa, quae a Conciliis Oecumenicis, Romanove Pontifice tamquam primo Ecclesiae Doctore & Capite ex fidei *deposito* deducuntur, ea legitima sunt fidei consectaria, cognationis evidentia ineluctabilia. Hinc disciplina illa, quae Dogmaticae Theologiae nomen habet, hujusmodi consecutionibus ubique constat. At vero quae ab aliis Theologis, quos a Scholis *Scholasticos* nominarunt, inferri solent, ea

ta ut plurimum neque evidentiam retinent cognationis. Hinc plura de Deo divinisque attributis inutiliter constituta, plura de officiis moribusque nostris a quibusdam propugnata, quae non solum incerta sunt atque dubia, sed prorsus indigna nomine Christianorum.

Monitum.

De hoc genere consequentiarum videte Melchiorem Canum, Opstraetum, Gregorium Simon, aliosque.

PARS II.

De consequentiis probabilibus.

QUae conclusiones necessariam non habent cum principiis cognationem, ab iis tamen duci probarique possunt, eae probabiles vocari communi solent suffragio philosophorum. Si Judex a pallore vultus, artuumque trepidatione admissi ab aliquo criminis argumentum ducat, erit id quidem probabile consequens, tum quia esse, quod conjecit, potest, tum quia probabilis ejus conjectatio. Sed quoniam absolute loquendo haud pugnat oppositum, suntque alia plura, ex quibus idem pallor oriri possit, quod intulit longe procul a certitudine est. De probabilitate multa generatim, multa etiam quaeri speciatim possunt.

CAPUT I.

De probabilitate generatim.

GEnerica probabilitatis investigatio duabus quasi partibus continetur. Vel enim ad naturam & fines, vel ad genericas probabilitatis leges reduci commode potest. De utrisque per summa, ut inquiunt, capita disseremus.

§. I.

De natura & finibus probabilitatis.

Animorum conditio media inter ignorantiam & scientiam probabilitas appellatur. Ea suos habet gradus, quibus ab ignoratione ascendat ad certitudinem. Hinc certitudo veluti ***totum*** est, quod partibus constet, nempe, gradibus probabilitatis. Hinc in omni probabilitate ea quoque ratio praescribenda, quae inter hujusmodi totum ipsasque partes nobis aliunde cognitas reperitur.

Quod probationi inservit, sed per se minime probat, id quemdam exhibet gradum probabilitatis, qui alio nomine conjectatio appellatur. Auctis itaque rerum

pro-

probationibus vel ipsi probabilitatis augentur gradus, iisdemque diminutis, hujusmodi quoque gradus minuuntur. Ex quo facile intelligitur, curnam alia magis, alia minus probabilia dicantur esse, alia quoque probabilissima vocari soleant.

Conjectationes vel a ratione vel ab auctoritate ducuntur. Primae *intrinsecam* probabilitatem, postremae *extrinsecam* constituunt. Omnis autem extrinseca probabilitas hoc axiomate nititur: *Credendum in arte Peritis est*. Sed cum Peritorum varia sint genera, accurate inter illos distinguendum, ne in eorum aestimanda auctoritate decipiamur.

Quae probabilitas dimidium certitudinis superat, ea verisimilitudinis nomen habet. Sed apud vulgus quae probabilia sunt, ea etiam verisimilia dicuntur. Dimidiata certitudo dubium proprie dictum constituit, eaque conditio aequilibrii vocari potest. Gradus verisimilitudinis a dubio proprie dicto usque ad certitudinem augentur. Dixi *a dubio proprie dicto*. Nam appellari quoque dubium aliquando solet status omnigenae ignorationis, unumque ab altero distinguitur, quod hoc *negativum*, *positivum* illud vocari consueverit.

Tandem probabilitas, quae conjectando aquiritur, ea sine possibilitate haberi nequit. Hinc tametsi aliud possibile,

probabile aliud sit; esse tamen probabile nihil potest, quod una simul possibile non appareat. Itaque ad probabilitatem necessaria possibilitatis erit demonstratio, eritque possibilitas minimus, ut inquiunt, gradus probabilitatis.

§. II.

De genericis probabilitatis legibus.

Quae hoc in loco a nobis statuuntur leges probabilitatis, eae genericum artis conjectandi usum spectant.

Lex. I. *Ubi absolutam comparare certitudinem possis, a conjectationibus abstineto.* Praedicturus eclypses, male conjectando philosopharetur Astronomus. Posset enim indubiis supputationibus phaenomeni hujus existentiam praevidere. Ita etiam Judici, rei confessionem nulli tergiversationi subjectam habenti, non est opus conjectationibus.

Lex II. *Unum alterumve argumentum seu sufficiens ad conjectandum reputato: omnia potius, quae in tui venire cognitionem possunt, quaeque ad probationem opportuna videntur esse, sedulo ac diligenter perquirito.* Finge, te paulisper esse Medicum, ac bene de prognosticis instituendis age con-

je-

jectando. In quavis aegritudine, sed praesertim in febribus, ex facie primum argumenta desumito. Malum omen habes, si ea tibi vel ad primam morbi invasionem *hippocratica* videatur. Sed cave, ne in sola facie contemplanda immoreris. Sunt alia plura in pectore, abdomine, pulsu, vigilia, somno, evacuationibus egregie spectanda.

Lex III. *Praeter argumenta, quae probationibus inserviunt, vel illa, quae in oppositum adduci possunt, accurate perpendito, videtoque quaenam probabiliora appareant.* Qui lunae ac reliquorum planetarum incolas propugnare volunt Astronomi, ii non sola analogiae signa, sed alia quoque in oppositum argumenta debent perscrutari. Idem praestent necesse est, qui brutorum animas spirituales, qui humanam mentem perenni cogitatione praeditam defendunt.

Lex IV. *Si de genericis conjectando quaeras, generica tantum ac remota argumenta adhibeto. Sin vero tibi sit de individuis conjectandum, propiora, & peculiaria argumenta ad rem pertinentia seligito.* Aliud est in aegritudinibus de valetudine restituenda generatim conjectare, aliud speciatim quaerere, quonam remedii utendum sit genere, ubi ad peculiares casus ventum est. Aliud est scisscitari, quanta probabi-

litate senex annorum sexaginta superfuturus vivendo sit juveni viginti annorum, aliud percontari, quanta sit eadem probabilitas in sene Paulo & juvene Sempronio. Multa enim in individuis reperiuntur, quae a genericis longe absunt.

Lex V. *In incertis dubiisque, donec tibi major lux affulserit, actionem tuam suspendito. Quod si ad agendum urgeat praesentio Turni, convenientius, tutius, aut saltem probabilius eligito.* Qui adversus hanc legem aut philosophando vivere, aut vivendo philosophari voluerunt, ii omni aetate debitas imprudentiae suae paenas dedere.

Lex V. *Quod aliquando prodesse, nocere numquam potest, illi, quod interdum obesse solet, anteponito.* Hujusmodi lex antecedentis est consectarium, eaque in omni vitae genere locum habet, sed in Medicina praesertim.

Lex VII. *Caveto, ne de humanarum actionum meritis, aut de secunda adversaque earumdem fortuna ex peculiaribus eventibus judices.* Aliquando enim vel optimos eventus habet ipsa fatuitas. Hinc qui tribus tesseris tres senarios prima vice jaciendos assumat, non ideo quod vicerit, prudenter se gessisse, dicendum est.

Mo-

Monitum.

De probabilitate generatim legite 's Gravesandium, atque Bernoullium.

CAPUT II.

De probabilitate in fortunae ludis aliisque generibus conjectationum.

A Generica probabilitatis consideratione ad peculiarem descendimus. Cumque haec vel in fortunae ludis aliisque similibus conjectationum generibus, vel in disciplinis spectari possit; hinc de utraque, ac primum de prima pertractabimus. Jam vero hujusmodi probabilitas aut symplex est, aut composita.

§. I.

De simplici, quae in fortunae ludis aliisque generibus conjectationum est, probabilitate.

Si unus tantum eventus ludentium expectationi respondeat, ea dici symplex probabilitas solet, idemque de alio conjectationum genere dicendum est. Jam vero

 omnis

omnis conjectatio hac lege dimetitur. *Probabilitas se habet ad certitudinem, ut casus, in quibus eventus propositus locum habet, ad omnes casus possibiles*. Itaque eventus omnes accurate spectandi, videndumque, quamnam ad eos rationem offerat eventus nostrae expectationis.

Quaesitum est I. *Quo gradu probabilitatis prima vice duabus tesseris septem puncta jaciam*. Principio igitur advertam, duabus tesseris haberi posse puncta 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Deinde vel illud spectaverim, non aeque facile hujusmodi puncta posse obtineri. Unica enim permutatione senarii & monadae, duabus 11 & 3, tribus 4 & 10, quatuor 5 & 9, quinque 6 & 8, sex 7 haberi possunt. Itaque reducendo, casus aeque facile contingentes erunt triginta sex. Cum vero ex superiori lege, probabilitas duabus tesseris septem puncta prima vice obtinendi se habere ad certitudinem debeat, quemadmodum numerus sex ad triginta sex; hinc ad problematis solutionem dicam, me in hypothesi eam habere vincendi probabilitatem, quae aequalis sit fractioni $\frac{6}{36}$, seu reductione facta, unam sextam partem certitudinis, quae hac altera fractione $\frac{1}{6}$ exprimitur.

Que-

Quaesitum est II. *Sitne major in insitis an in naturalibus variolis servandae vitae probabilitas?* Illud in primis cum Condaminio statuendum, determinato quodam temporis intervallo, insitorum, qui apud Anglos numerum 6398 exaequarunt, solos septendecim obiisse, nimirum, reductione facta, unum solummodo ex 376. Deinde illud quoque veluti firmum ratumque habendum, naturalium variolantium nunc septimam, nunc sextam, nunc etiam quintam partem interfici, ex concessione illorum, qui insitioni adversantur. Quamobrem minimam partem, quae septima est, ad supputationem adhibentes, in superiori hypothesi, numerus interfectorum variolis naturalibus erit 53, nulla habita ratione fractionum. His positis constat, probabilitatem moriendi in naturalibus variolis esse ut 53 : 376; in insitis vero ut 1 : 376. Atque hinc permutando, prima probabilitas erit ad alteram, ut 53 : 1. Sed probabilitas vitae est in ratione inversa probabilitatis mortis; ergo invertendo, probabilitas servandae vitae in insitis variolis est, ut 53, in naturalibus vero ut 1. Ergo tanto major in primis quaesita probabilitas, quanto major 53 relate ad unitatem.

Quaesitum est III. *Quanta sit probabilitas extrahendi prima vice globum nigrum*

ex urna, in qua ignotus numerus continetur globorum nigrorum alborumque? Hujusmodi probabilitas nequit inveniri, nisi prius iterum iterumque unus aut alter globulus ab eadem urna extrahatur. Numerus enim extractorum omnium se habebit ad numerum nigrorum inter hos, ut certitudo ad probabilitatem quaesitam. In quo quidem error potest inesse, sed repetitis observationibus adeo minuitur, ut aliquando etiam fere evanescat. Hac methodo conjectationes fiunt in aegritudinibus, in navigationibus, in probabilitate vitae & mortis vel extra morborum hypothesim, uno verbo, in omni genere latentium phaenomenorum, quae expectari solent.

§. II.

De composita, quae in fortunae ludis est, probabilitate.

Est probabilitas composita, quae ex pluribus simplicibus resultat. Casus, in quibus probabilitates componuntur, varii sunt discrepantesque; & quidem faciles videntur esse, si ad simplicem probabilitatem reducantur; difficiles vero sunt, si secus computatio fiat, nempe, componendo. Nos in adolescentium utilitatem unum solummo-

do

do exemplum eligemus, idque ex Hugenio & Bernoullio desumptum.

Invenire, quot vicibus suscipere quis possit, ut una tessera 6. puncta jaciat. Est propositio 10. primae partis *De arte conjectandi*, cujus haec apud laudatos viros solutio. Si quis prima vice senarium jacere contendat, apparet unum esse casum, quo vincat, habeatque id, quod pignoris loco, depositum est; quinque vero esse casus, quibus perdat & nihil habeat. Sunt enim quinque jactus contra ipsum, & tantum unus pro ipso. Quod autem depositum est vocetur a. Est itaque ipsi unica expectatio ad obtinendum a, sed quinque ad obtinendum o; id quod tantumdem valet ac $\frac{1}{6}$ a. Et manet pro eo, qui ipsi hunc casum offert $\frac{5}{6}$ a. Ita ut tantummodo 1 contra 5 deponere possit, qui prima vice suscipere velit.

Qui duabus vicibus semel senarium jacere certet, fors ejus hoc pacto computatur. Si prima vice sex jaciat, obtinet a. Si diversum eveniat, unus ipsi restat jactus, qui ex superiori tantum valet, quantum $\frac{1}{6}$ a. Atqui ut prima vice sex jaciat, unus tantum casus est, & quinque casus, quibus diversum eveniat. Itaque ab initio unus casus est, qui det ipsi a, & quinque, qui dent $\frac{1}{6}$ a, id quod

quod vale, $\frac{11}{36}$ a. Unde contracertanti lusori redit reliquum $\frac{25}{36}$ a, adeo ut sors utriusque, sive aestimatio expectationis eam servet rationem, quam habet 11 ad 25; idest, minus quam 1 ad 2.

Hinc eodem modo calculo subducitur, quod sors ejus, qui tribus vicibus semel senarium jacere suscipit, sit futura $\frac{91}{216}$ a; ita ut 91 contra 125 deponere possit, idest, minus quam 1 ad 2.

Qui quatuor vicibus idem suscipit, sors ejus est $\frac{671}{1296}$ a; ita ut 671 contra 625 deponere possit, idest, plus quam 1 ad 1.

Qui quinque vicibus idem suscipit, sors ejus est $\frac{4651}{7776}$ a, & potest 4651 contra 3125 deponere, idest, paulo minus, quam 3 ad 2.

Qui sex vicibus idem suscipit, sors ejus est $\frac{31031}{46656}$ a, & potest 31031 contra 15625 deponere, idest, paullo minus quam 2 ad 1.

Supputationis hujus fundamentum est hoc axioma: *Summa productorum ex numeris casuum in id, quod quovis casu acquiritur, divisa per numerum omnium casuum, ostendit valorem expectationis*. De eo Bernoullius in scholio propositionis 3. laudatae partis egit, eoque innixi, in adolescentium, qui minus in supputatione valent, utilitatem, hoc supputationis schema exhibemus.

Casus

II. $\frac{6a + aX5}{6 \cdot 6} = \frac{11a}{36}$

III. $\frac{36a + 11aX5}{36 \cdot 6} = \frac{36a + 55a}{216}$ $\frac{91a}{216}$

IV. $\frac{216a + 91aX5}{216 \cdot 6} = \frac{671a}{1296}$

V. $\frac{1296a + 671aX5}{1296 \cdot 6} = \frac{4651a}{7776}$

VI. $\frac{7776a + 4651aX5}{7776 \cdot 6} = \frac{31031a}{46656}$

Dubitat Alambertus, an quae sunt atque *mathematice* possibilia, eadem aeque *phisice* possibilia dicenda sint. Quae si vera essent, actum foret in hoc argumenti genere de exacto calculo probabilitatum. Videte eumdem Alambertum in opusculis mathematicis.

Monitum.

De probabilitate in fortunae ludis disseruere Hugenius, Jacobus & Nicolaus Bernoullius, Monmortius, 's Gravesandius. De ejusdem vero adplicatione ad vitalitia problemata Moivrius, Robertus Gaeta aliique.

CA-

CAPUT III.

De probabilitate in gravioribus disciplinis.

DIsciplinas omnes, quibus aptari probabilitatis mensura potest, ad quatuor veluti suprema genera reducimus, nimirum, ad Physicas, Medicas, Juridicas, Politicas. Quemadmodum igitur sit in his conjectandi ars exercenda, breviter exponendum nobis est.

§. I.

De probabilitate physica.

Omnis physica conjectatio aut causam quaerit detecti per observationem & experimentum phaenomeni, aut nova naturae facta investigatur, quibus jam detecta illustrentur expliceturque. Ad primum quod attinet, jam tritum illud Physicorum omnium sermone proverbium: *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas*. Quod non de omni causarum intelligendum est genere. Quippe nonnullae sunt cum a veteribus, tum a recentioribus detectae, aliaeque detegentur in dies, ubi observationum,

atque experimentorum uberior fiat accessio. Id itaque de caussis genericis deque remotioribus, id de Providentiae ordine intelligendum, quo in sensu vel ipsa Scriptura ait, mundum traditum disputationi hominum, ut quanto magis quaesierint, tanto minus inveniant. Seu etiam id non de metaphysica, ut inquiunt, sed de morali impossibilitate interpretandum est.

Cum de optimo naturae interprete prima parte libri primi decreverimus, solam illi habendam rationem phaenomenorum, putabit fortasse quispiam, nullum locum in re physica ad causae inventionem conjectationibus esse. Sed cum ad ipsam investigationem causarum sola eundum phaenomenorum via & ratione praescribamus, patet, quanta sit doctrinae nostrae consensio, ubi haec cum illis accurate comparentur. Itaque vel ad hunc finem conjectandum, dummodo id non per abstracta systemata, non per vanas hypotheses, sed per observationes & experimenta fiat.

Quo plures institutae observationes fuerint, quo plura experimenta confecta, eo majora nobis erunt, ad causas inveniendas, fundamenta conjectandi. Magna enim copia observationum experimentorumque rerum vincula, cognationes, rationesque bene philosophantibus offert. Haec au-

autem omnia vel ad causae ducunt investigationem; vel quid pro causa haberi nequeat, ostendunt; vel ignorationis nostrae fines ita constituunt, ut in iis quoque agnoscendis mirifice oblectemur.

Sed omnium ferme conjectationum ratio ad causas detegendas hisce principiis nititur, quae sunt etiam celeberrimo Newtono probata. 1. *Non plures sunt admittendae causae, quam quae verae sunt, & phaenomenis explicandis sufficiunt*. 2. *Aedem causae eosdem producunt effectus, similes producunt similes*. Quae duo analogicam disserendi methodum spectant, ac proinde summa cum cautione adhibenda.

In altera vero phisicae conjectationis parte, qua solum nova phaenomena ad reliqua illustranda perquiruntur, uberior conjectandi provincia est, ac se plurimum in ea exercuere hujus saeculi nostri Phisici praestantissimi, quos inter Franklinus & Beccharia, Josephus Prystlejus, Felix Fontana, Bonnetus, Spallanzanus aliique. In quo illud summopere cavendum est, ne ad phaenomena explicanda animo jam systematibus imbuto accedamus. Hoc enim pacto illud *Anti-Phisicae* crearetur genus, cujus institutio in votis est Alamberto, ad philosophorum audaciam compescendam. Sed haec ex iis, quae prima parte

te libri primi dicta sunt, uberius explicanda. Ad reliqua pergamus.

§. II.

De probabilitate medica.

Longe procul a systematibus sit oportet, qui laudabiliter velit & fructuose medendi artem profiteri. Hinc medica facultas, quae tota systemati refertur accepta, teterrima pestis mortalium vocari potest. Erit itaque conjectandi ars in re medica ars restituendae valetudinis, ducta ex comparatione sanabilis morbi cum reliquis ejusdem generis aegritudinibus.

Aegre tulit Senachius, artem hanc in Medicinam invectam, deque ea a viro maximo paratam institutionem. Sed cum suprema certitudo aut numquam, aut fere numquam in valetudinum haberi curationibus possit, quid Peritis in arte faciendum est, si fuerit illis prudens interdictus usus conjectationum? Conjectationes Sylvii aliorumque, qui omnia morborum genera vel ad acidos & alkalinos sales, vel ad sanguinis impeditam turbatamve reduxere circulationem, vitiosae sunt, propterea quod systematicae. Secus de alio conjectationum genere cogitandum.

Cae-

Caeterum aeque Senachius atque Alambertus in eo conveniunt, ut solis sive propriis, sive alienis observationibus iisdemque recte institutis comparatisque, salutaris possit ars exerceri. Hinc Hallerus in commentariis ad prolegomena praelectionum immortalis Boerhaavii haec habet : *Qui medicinae se addixit, tenetur ex scientiae nostrae natura, ut addiscat id omne, quod de universa arte aut veteres, aut recentiores certum & indubitatum docuerunt; deinde ut his demonstratis fideliter addat proprias observationes suas, ea certe perfectione, quae in humanum intellectum cadit.*

Optandum maxime foret, ut singularum provinciarum regnorumque Medici, quamdam inter se societatem inirent, in qua sibi invicem proprias communicarent observationes. Quam propositionem pro Galliarum regno, Fontenellio teste, a Chirachio factam novimus. Hac enim ratione Medicinae praesidia augerentur, quaeque uni tantum regioni utilia extitere, uberiorem usum aquirerent.

Optandum quoque, ut in tanta medicarum institutionum copia duo genera institutionum haberemus, quorum unum *Medicina praeservativa*, alterum *Medicina negativa* inscriberetur. Æque enim interest scire, quid agas, ut convalescas, aut a

quo

quo abstineas, ne ruat res in deterius. Æque nosse juvat ea, quae possint valetudinem restituere, ac quae eamdem tueri valent.

§. III.

De probabilitate Iuridica.

Si ars conjectandi praecipuum locum habet in Medicina, ea neque a Iurisprudentia longe abest. Sed in hac disciplina principia firma atque stabilia sunt. Quae enim a jure naturae pendent, nullas ea vicissitudines patiuntur. Quae vero juris positivi dicuntur esse, ab hominum voluntate pendent, demptis iis, quae Dei sancita imperio extitere. Hinc si in Medicina aliquando morbi remediique ignotum genus est, in Iurisprudentia sola morborum ratio potest ignorari; quippe remedia ab ipsa lege exhibentur. Ex quo efficitur, omnem conjectandi artem in Iurisprudentia eo pertinere, ut id, quod sub legis, ut inquiunt, casu venit, summa cum aequitate statuamus.

Iam leges universae ad quasdam veluti genericas praescriptiones reducuntur, quarum nulla de peculiaribus videtur esse sollicita. Hinc L. XI. D. *De legibus & Senatus*

Senatus Consultis statutum legimus: *Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus aut Senatus Consultis comprehendi. Sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni praeest, ad similia procedere, & ita jus dicere debet.*

Optimae igitur conjectationes in re juridica a solis Philosophis institui & perfici poterunt. Quod exemplo probarunt suo veteres Iurisconsulti, cum illorum plerique ex Stoica disciplina prodierint. Philosophorum est, ea, quae in eventibus similitudinem & quasi cognationem habent, ad genericas leges, ad praescripta generatim jura reducere. Nisi id fuerit egregie praestitum, inutiliter leges, perniciose crimina augebuntur.

Sed quae conjectandi provincia Philosophis reservatur, ea a vanis subtilitatibus, a sophistica disserendi ratione, ab iisque interpretationibus debet abesse, quae non juris aequitatem, sed solam ingeniorum subtilitatem ostendunt. Multa sunt in hac re a Sapientibus observata, sed quae Muratorius habet, lectu dignissima haberi debent.

§. IV.

§. IV.

De probabilitate politica.

Omnes homines plurimum hominibus & prosunt & obsunt. Solius virtutis est conciliare animos hominum, & ad usus suos adjungere. Atque in hoc politica conjectandi ars versatur, ut hominum studia complectamur. Iam vero, quotquot sumus, his de causis aliorum inservire utilitatibus consuevimus. Ducimur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis praestantia, aut spe nobis id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogamur, aut spe largitionis promissionibusque capti, aut postremo mercede conducti, quorum duo prima virtuti propiora sunt.

Omnium rerum nihil aptius, quam diligi, nihil alienius, quam timeri. Malus custos diuturnitatis est metus; contraque benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem. Sed benefica voluntate benevolentia movetur, inprimisque amor multitudinis commovetur ipsa fama & opinione liberalitatis, beneficentiae, justitiae, fidei, omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem.

Fides

Fides ut habeatur, duabus rebus effici potest, prudentia, nimirum, atque justitia. Iis fidem habemus, quos plùs intelligere, quam nos arbitramur. Iustis autem & fidis hominibus, ideft, bonis ita fides habetur, ut nulla fit in his fraudis injuriaeque fufpicio. Harum duarum ad fidem faciendam juftitia plus pollet, quippe cùm ea fine prudentia fatis habeat autoritatis, prudentia fine juftiria nihil valeat ad faciendam fidem. Quo enim quis verfutior & callidior eft, hoc invifior & fufpectior detracta opinione probiratis.

Haec Tulliana politices principia funt, vera illa quidem, fed minus probata quibufdam philofophantibus. Horum opinio eft, humani generis benevolentiam ab ejùfdem utilitate pendere, fola cujufcumque regi *philautia*, ac proinde hominem homini lupum effe, credendumque nemini, aut faltem poft diuturnum experimentum paucis. Quae fi vera effent, fequeretur, folam hominum affentationem in re politica artis conjectandi fundamentum effe. Quae ars eo intricatior, quo obfcurior eft cognitio hominum, difficiliorque praevifio adjunctorum, in quibus vel ab amicis ipfa ingeniorum ratio immutatur.

Moni-

Disciplinarum probabilitas earumdem studio magis quam legibus praeceptionibusque innotescit. De ea agit Alambertus.

PARS III.

De consequentiis systematicis.

PLurium veritatum copulata series systema generatim appellatur. Quo in sensu nulla est consequentia, quae systematica dici jure non debeat. Sed systematis nomen peculiarem quamdam habet significationem. Eo enim minus aequa idearum judiciorumque cognatio intelligitur, quae si semel insederit animis philosophorum, omnia putantur indubia, quae inde argumentando consequuntur. Fac, cometae reditum alligatum semel ideis calamitatum malorumque. Quis infortunia quaeque praesertim publica redeunti cometae non tribuat? Ex falso, de quo loquimur, systemate systematicam consecutionem habes. Iam vero quaevis falsa veritatum cognatio vel ab affectuum disciplina est, vel ab educatione vel a propria ratione philosophandi. Quare primum de consequentiis affectuum, deinceps de reliquis pertractabimus.

CAPUT I.

De consequentiis systematicis ab affectibus.

BOni malique perceptiones cum voluptate & dolore conjunctae appellantur affectus: qui quamvis ad amorem reduci possint universi, ad sex tamen capita eosdem reducemus. 1. Enim amorem. 2. Odium. 3. Spem. 4. Metum. 5. Laetitiam, 6. Tristitiam, & quae sunt his affinia considerabimus.

§. I.

De consequentiis ab amore.

Animi commotio, qua ad sibi convenientium objectorum societatem impellitur, amor est juxta Cartesium. Hujusmodi affectu bona omnia prosequimur, & aliquando ad virtutem excitamur. Sed plerumque vitiorum quasi segetem in amore reperimus. Itaque ubi ille insanierit, haec veluti habet consectaria. 1. modum rationemque turbat judiciorum omnium. 2. amatae rei virtutes exhibet praestantiores. 3. vitia ipsa pro virtutibus repraesentat. Hinc celebre illud:

Amare

Amare & sapere vix Deo conceditur.

Quod si idem amor ad honorem referat universa, *ambitio* dicitur, cujus haec consequentia legitima. 1. laudis desiderium vehemens. 2. maxima propriorum idea meritorum. 3. reliquorum omnium contemptus.

§. II.

De consequentiis ab odio.

Amori opponitur odium, quod animi commotio est avocans ab objectis, quae nobis noxia videntur esse. Quantum judicia nostra ab amore, tantumdem ab odio perverti solent. Hinc pulchritudinem ipsam veluti deformitatem, virtutes tamquam vitia odio abrepti intuemur. Christus miracula patrat? Systematicum Iudaeorum consequens intuiminor. *In Belzebub Daemoniorum Principe daemonia ejcit.* His similia habent *ira*, atque *invidia*, quae cum odio sunt quamsaepissime copulata. Et ad invidiam quod attinet, quae & quanta sint ejus consectaria, egregie detexisset Ioannes Clericus in suo *Argumento Theologico ab invidia ducto*, nisi rem hanc exemplis illustrans, in idem vitium, vitium ipsum corrigendo, incidisset.

§. III.

De consequentiis a spe.

Spes dicitur animi commotio, orta ab expectatione futuri boni. Hujusmodi affectus cum *desiderio* est natura suapte conjunctus. Praecipuum ejus consectarium est nimia credulitas. Quod enim volumus facile credimus. Hinc Hebraei Messiae adventum adhuc sperantes sibi facile imponi patiuntur. Idem praestant Alchimistae in iis, quae de auri confectione enarrantur, fabellis.

§. IV.

De consequentiis a metu.

Commotio animi, nata ex opinione impendentis mali, metus appellatur. Affectuum nullus est, qui hominibus magis quam timor illudat. Res enim refert ab eo, quod sunt, omnino diversas.

Et solem geminum & duplices se ostendere Thebas.

Reliqui affectus paulatim rationem turbant; hic vero repentino quasi motu cam-

eamdem excutit. Cum publice timor dominatur, incredibile dictu est, quot impune fingantur credanturque. Hinc invisibilium hinc incompraehensibilium vulgata opinio. Talia sunt, quae de magia nigra, de Sagis, Lamiisque referuntur.

§. V.

De consequentiis a laetitia.

Laetitia est commotio animorum, nata ex persensione praesentis boni. Quum laetitia, quam dicunt gestientem, subit animum, facit, ut nulli rei serio incumbamus, ut omnia nullius fere momenti reputemus, oblivifcamur omnia, ut denique velut ebrii ad errores & scelera rapiamur. Hujusmodi affectu in quot nefanda lapsi non sunt viri caeteroquin sanctissimi,? Celebre quoque est, quod de Alexandro laetitia gestiente refert Curtius

§. VI.

De consequentiis a tristitia.

Tristitia est animi commotio, nata ex persensione mali praesentis. Qui ea agitatur, solitudinem amat, spernit societa-

tem. Vel hujusmodi affectus aliquando ruit ad insaniam, ac spem omnem de medio tollit, unde *desperatio*. *Suicidarum* judicia quibus ad mortem sibi inferendam impelluntur, sunt commotionis hujus consectaria.

Monitum.

De hoc argumenti genere scripsit De la Chambre in opere *Les Charactères des passions*.

CAPUT II.

De consequentiis systematicis ab educatione.

VAria & multiplex hominum educatio. Ea tamen ad quatuor quasi classes referri potest. Et quidem 1. Ad sensus. 2. Ad parentes. 3. Ad populum. 4. Ad praeceptores.

§. I.

De consequentiis ab educatione sensuum.

Primam educationem a sensibus accipimus. Iis enim extrinseca omnia referun-

runtur, ſtatim ac in lucem prodire datum eſt. Iam vero primis vitae momentis nondum evoluta organorum ſtructura eſt, quaeque mentis reflexio apppellatur, omnino deeſt. Itaque plures ope ſenſuum aquiruntur ideae, quae partim obſcurae, partim inadaequatae, partim confuſae ſunt, omnes autem a ſecuritate procul poſitae, quippe fortuito ſolum comparantur. Ratione deſtituti, dum adhuc infantes ſumus, nullo opportuno utimur examine; ac res eum in modum eſſe, quemadmodum repraeſentantur, facile credimus. Interim cum hiſce falſis ideis quamdam veluti familiaritatem inimus, donec repetitis impreſſionibus haec ipſa familiaritas in conſuetudinem commutatur. Facilius Herculi clavam, quam tibi hanc primam inſtitutionem ſubtrahas.

Conſectaria, quae ad hoc caput reducuntur, ſunt errores ferme omnes de rebus incorporeis.. Quae enim intelligi deberent, conamur eum in modum imaginari, quemadmodum ope ſenſuum referri caetera conſuerunt.

Praeterea ea ſolum exiſtentia propugnamus, quorum ſenſationes percepimus. Hinc quae ſenſuum imperfectione non attingimus, tamquam non exiſtentia reputamus. Microſcopia, & teleſcopia ad hujuſ-

modi corrigendos errores instituta sunt.

§. II.

De consequentiis ab educatione Parentum.

Parentum institutio in omnem vitae partem propagatur uberrime, manetque alta mente repostum quidquid ab iis haustum acceptumque fuit. Hinc maxima qua pollent auctoritate plurium errorum & praejudiciorum causas suppeditant. Id vel in disciplinis, id vel in religione ipsa locum habet. Quae studia a Parentibus exculta, eadem commendata liberis nepotibusque. Quae vero improbata majoribus, eadem & improbanda filiis proponuntur.

Quid dicam de moribus? Sunt in familiis nonnulli mores quodammodo haereditarii. Sunt in iisdem opiniones aut falsae, aut deridiculae, aut singulares. Idem de religione putandum est. Cum enim vel ipsa religio tenellis pueris explicetur, nisi ea pure casteque fuerit a Parentibus tradita, aut in atheismum, aut in superstitionem vertitur.

Hinc consectaria adversus mathematicae aliarumque disciplinarum studium.

Hinc

Hinc prava judicia de duellis, de proprii generis nobilitate ſtultiloquia, contemptus demum illorum, qui fumoſarum imaginum commendatione carent.

§. III.

De conſequentiis ab educatione populi.

Incredibile dictu eſt, quot ſint Populi praejudicia. *Populus*, auctore Verulamio, *eſt inſtar fluminis, quod gravia mergit, levia tranſvehit*. Is ut plurimum vera virtutis idea deſtituitur. Ea, quae intelligit, probat, quae vero ſupra captum mentis ſuae ſunt, contemptui habere ſolet. Patriis traditionibus nimis aequo deditus, fabellas pro veritate venditat. Vera putat miracula, quae aut impoſtorum opera extitere, aut naturae arcana dicenda forent.

Quaenam confectaria debeant ab hujuſmodi educatione proficiſci, nemo eſt, qui non videat. Omnium noſtrum neceſſaria cum eodem populo conſuetudo eſt, eamque evitare vix poſſumus. Itaque erroribus falſiſque opinionibus inquinemur oportet.

§. IV.

De consequentiis ab educatione Praeceptorum.

Summa Praeceptorum auctoritas esse solet, eaque in liberorum institutione gravissima. Pythagoricorum mos & consuetudo erat rogantibus respondendi: *ipse dixit.* Ipse autem erat Pythagoras. Quid si Praeceptorum disciplina a veritate nimium abhorreat? Mordicus ea defendi vult, proque *aris & focis* propugnari. Ex hoc fonte manarunt Sectae veterum philosophorum. Ex eo quasi divinus Stagyritae cultus, & pro Renato Cartesio incredibilis fanatismus ortus est. Sed nobis Eclecticorum in morem philosophandum. Qui enim in alterius verba juravit,

Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet aeternum, ingenio quia nesciet uti.

Haec vera philosophandi ratio est, probata in primis Lactantio aliisque. Et quidem Lactantius haec habet; *Quare oportet in ea re maxime, in qua vitae ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judi-*

judicio ac suis sensibus niti, ad investigandam & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tamquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possint, & audita perpendere. Nec quia nos illi (nempe majores.) *temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt; quae si omnibus aequaliter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est, tamquam lux & claritas solis, quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, idest, veritatem quaerere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur.*

Monitum.

De praejudiciis ad educatione fluentibus consulite Cartesium medit. 1. Lokium aliosque.

CAPUT III.

De consequentiis systematicis a propria ratione philosophandi.

POstquam institutum a philosophis systema est, sive verum illud sit, sive falsum, ad consequentium il deductionem accedunt. In quo ex propria philosophandi ratione necessarias ubique consecutiones intuentur, tametsi quod inde argumentando conjciunt, a solis ut plurimum hypotesium praestigiis repetendum esse videatur. Atque hoc philosophorum ferme omnium est vitium, quod quam teterrimum illud sit, exemplis explicavero.

§. I.

De systemate Epicuri atque Hobbesii circa corpoream animorum rationem.

Notum exploratumque est, Epicurum atque Hobbesium in animorum constituenda natura delirasse, nullaque habita simplicissimae cogitationis ratione, eumdem animum materialem atque corporeum fecisse. Hoc utique falsum systema erat

ac

ac proinde ſolum falſae, quantumvis neceſſariae, duci ex eo poterant conſecutiones hujuſmodi: ergo *mechanicae ſunt animorum operationes*: ergo *animus pereunte corpore diſſolvitur*.

§. II.

De ſyſtemate Ariſtotelis circa mundi aeternitatem.

Ariſtoteles Deum non propria ratione, ſed naturae neceſſitate operantem ſibi falſo ſyſtemate repraeſentavit. Eumdem itaque fato quodam abreptum eſſe voluit, eumdemque in operando ſoli conſimilem dixit. Quidnam ex falſo hujuſmodi ſyſtemate conſequi poterat? Nimirum, falſa mundanae aeternitatis conſequentia. Si enim ſol ab aeterno foret, una cum eo aeternus quoque radius extitiſſet. Hinc ſi Deus per Ariſtotelem eſt mundi Opifex, nonniſi aeternum eſſe ejus opificium potuit.

§. III.

De systemate Cartesii circa corporis essentiam.

Cartesius essentiam corporis in uno tantum attributo reponendam duxit, putavitque attributorum omnium illud veluti primum esse, a quo caetera fieri in eodem corpore viderentur. Unde concludit, sola extensione corporis essentiam contineri. Mirantur nonnulli, quidnam causae fuerit, ut idem philosophus vacuum vel divina omniporentia impossibile substinuerit. Id tamen systematica erat ab constituta corporis essentia deductio. Ubi enim per Cartesium superest extensio, ibi superesse corpus necesse est.

§. IV.

De systemate Spinozae circa substantiae unitatem.

Benedictus Spinoza, posita arbitratu suo definitione substantiae, ex qua conjecerat, fieri nulla ratione posse, ut duae ejusdem attributi substantiae reperiantur, tandem vel illud quamquodmaxime paradoxum intulit, nullam aliam substantiam praeter Deum existere, omnemque extensionem cogitationemque substantia

hujus

hujus attributa esse. Nemo est, qui non videat vaferrimum Pantheistam consequentiis systematicis usum. Si enim Spinozae substantiae definitionem negaveris, si *logomachiam* ejus detexeris, corruet statim Spinozistica moles, universum de unitate substantiae systema corruet.

§. V.

De genericis cautionibus ad evitandas consequentias systematicas.

Consequentiae systematicae aut a pravis abstractionibus, aut ab inanitate hypothesium proficiscuntur universae. Quid igitur ad eas praecavendas faciendum nobis erit? Nimirum, pravae abstractiones fugiendae, vitandaeque hypotheses, quae ad thesim observationibus & experimentis reduci commode nequeant. Quam si legem Scholastici Cartesianique religiose servassent, nihil profecto absonum a veritate in philosophia sua posuissent. Quod Dialecticis nostris maneat alta mente repostum volumus rogamusque.

Et quoniam vel in ipsa observandi & experiundi ratione systematis amor mirifice potest illudere, omni studio diligentiaque videndum, ne hoc amore systema-

tis ea tamquam generica reputemus, quae peculiaria omnino sunt. In hac philosophiae luce magna certe Observatorum est copia. Sitne aequalis, qui recte observent, copia philosophorum, nec satis scio, nec si sciam, dicere ausim.

Fuit olim Etruria nostra observationum experimentorumque magistra, nata institutioni artium optimatum? Ab ea caeterae gentes observandi & experiundi primas quasi leges didicere. Quid nunc otio torpent plerique, quid fere in tenebris delitescunt?

Possumus . . . .
. . *lucem sperare novam, si quid modo LAETUS Annuis*.

Monitum

De consequentiis systematicis Condillacum consulite.

APPENDIX

De extrinsecis ratiocinandi formis.

PRaeter intrinsecam, quam hactenus in Dialectica exposuimus, ratiocinandi formam, est quoque illa, quam extrinsecam dicunt, de qua breviter disserendum nobis est.

Omnis

Omnis extrinseca ratiocinii forma ad Syllogismum, ad Epicherema, ad Enthimema, ad Soritem, ad Dilemma, ad Exemplum reducitur.

Syllogismus est argumentationis species. quae ex tribus propositionibus rite dispositis constat. Harum propositionum prima vocatur *major*, quia *majus extremum*, nempe, praedicatum continet propositionis controversae. Altera dicitur *minor*, quia *minus extremum* habet, nempe subjectum ejusdem controversae propositionis. Major vero minorque simul dicuntur *praemissae*, eo quod praemittantur ad inferendam conclusionem. Tandem tertia appellatur *consequentia*, *Consequens*, seu *conclusio*, propterea quod consequatur concludaturque ex praemissis. En exemplum:

Quod cogitat incorporeum est.
At mens humana cogitat;
Ergo mens humana est incorporea.

In hoc exemplo propositio controversa est: *num mens humana sit incorporea?* Hujus praedicatum est *tò incorporea*, subjectum vero est *tò mens humana*. Quare patet, cur prima exempli propositio sit vocanda major, cur etiam altera minor sit appellanda.

Prae-

Praeterea cum in omni ratiocinio duae ideae comparentur cum tertia, videndum est, quo artificio instituenda sit hujusmodi comparatio. Ex geometricis axiomatibus patet, *ea quae sunt eadem uni tertio, esse quoque eadem inter se*: quemadmodum etiam, *si duorum unum sit idem cum tertio, cum quo alterum non est idem, ea neque eadem esse posse inter se*. Itaque dum extrema propositionis controversae cum medio termino in syllogismo comparantur, ad hujusce comparationis naturam diligenter advertendum est. Si enim quae in praemissis cum medio termino comparantur, cum eodem utraque exacte conveniant, ea vel inter se convenire in eadem conclusione debent. Unde conclusio affirmativa esse debet. Sin vero in eadem comparatione unum cum medio termino conveniat, alterum vero ab eodem discrepet, ea neque inter se poterunt convenire. Ex quo sequitur, conclusionem negativam esse oportere. En exemplum syllogismi affirmativi.

Quod projcit umbram rotundam, rotundum est.

At tellus projcit umbram rotundam, ut patet in lunari eclypsi.

Ergo tellus rotunda est.

In hoc exemplo comparata sunt *tellus* atque *rotunditas* cum medio termino *proje-*

jectionis umbrae rotundae. Cumque utraque convenire cum *tertio* reperta fuerint; inde conclusum est, ea vel inter se convenire, quod de phisica telluris rotunditate intelligendum est. En exemplum syllogismi negativi.

Quod societatis conservationi opponitur, non est permittendum.
At Suicidium societatis opponitur conservationi.
Ergo illud non est permittendum.

In hoc exemplo comparatum est *suicidium*, & *ipsum jus permissionis* cum eo *quod opponitur societatis conservationi*. Constitit autem illorum unum convenire cum tertio, alterum discrepare ab eodem. Quare jure meritoque negative conclusum est.

Cum syllogismus sit ratiocinandi forma synthetica; hinc ab universalibus atque genericis conclusiones deducit suas. Hinc etiam jure a Scholasticis statutum, in omni syllogismo saltem unam propositionem universalem reperiri debere. Quod ut facilius intelligatur, sciendum, vim omnem affirmativi syllogismi ab hoc altero principio pendere: *Quod affirmatur de genere aut specie, idem dequolibet contento sub illo genere aut specie affirmandum est*. Quemadmodum

dum etiam negativi syllogismi veritas ab hoc principio repetenda est: *Quod negatur de genere aut specie, idem de quolibet contento sub illo genere aut specie negandum est*. Ad perfectam syllogsmorum efformationem hae sunt leges observandae.

Lex I. *Syllogismus ne pluribus quam tribus terminis constet, extremis, nempe, duobus propositionis controversae & medio termino*.

Lex II. *Oportet, semel saltem medium universaliter sumi, idque seu sit medium identitatis seu distinctionis*.

Lex III. *Termini consequentis esse nequeunt universaliores, quam sint in praemissis*.

Lex IV. *Ex praemissis negantibus nihil concludi potest*.

Lex V. *Ex affirmantibus nequit concludi negando*.

Lex VI. *Si alterutra praemissarum fuerit negans, consequens erit negans*.

Lex VII. *Si alterutra praemissarum fuerit particularis, consequens erit particulare*.

De syllogismorum modis figurisque disputare non vacat. Qui rem hanc ad eruditionem velit intelligere, adeat Arnaldum. Ad sophismata quod attinet, illud unum observasse sat est, nullum esse in omni syllogismo-

gismorum ratione sophisma, quod a medii termini inconstantia & vicissitudine non pendeat.

Epicherema est quaedam syllogismi species, cui vel utrique praemissae, vel alterutri probatio adjungitur. En exemplum.

Quod premit corpora deorsum grave est.
Hoc enim gravitatis nomine vulgo intelligitur.
Sed aer premit corpora deorsum, ut patet experimentis & observationibus;
Ergo aer gravis est.

Enthimema est argumentationis species, duabus propositionibus constans, quarum prima dicitur *antecedens*, altera *consequens*. Ea ad syllogismum facile reducitur. En exemplum.

Deus est ens perfectissimum.
Ergo mentiri non potest.

Laudatum enthimema hac ratione ad syllogismum reduceretur.

Quod perfectissimum est non potest mentiri;
Sed Deus est ens perfectissimum;
Ergo Deus mentiri non potest;

Sed

Soritem vocant Dialectici acervum propositionum, ita inter se cohaerentium, ut prioris praedicatum fiat subjectum consequentis, donec primae enunciationis subjectum una cum postremae praedicato componatur. En exemplum:

Quodlibet corpus est in aliquo spatio;
Quod est in aliquo spatio potest esse successive in alio;
Quod potest esse successive in alio spatio, potest mutare spatium;
Quod potest mutare spatium est mobile;
Ergo quodlibet corpus est mobile.

De hac argumentationis specie videte Gualbertum de Soria in Diacrysi.

Dilemma est argumentatio, quae *cornuta* etiam dici solet, quod ejus antecedens duabus partibus constet, utrinque incommodum adversario offerentibus. En exemplum:

Uxorem aut deformem duces, aut pulchram.
Si deformem, tibi non placebit;
Si pulchram, placebit aliis;
Ergo tibi uxor ducenda non est.

vi-

Vitia dilemmatis eadem omnino ſunt ac vitia propoſitionis disjunctivae. Praeterea cavendum in dilemmate, ne illud facillime poſſit retorqueri. Quod in ſuperiori dilemmate hunc in modum contigiſſe novimus:

Uxorem ſi pulchram ducam, placebit mihi;
Sin deformem, non placebit aliis;
Ergo mihi uxor ducenda eſt.

Exemplum eſt argumentatio, in qua ab uno ſimili ad aliud ſimile concludimus. Ex. g.

Alimenta corporis opportune ac debitis cum cautionibus corpori tribuenda,
Ergo a pari & alimenta ſpiritus, quae ſtudia ſunt, itidem opportune ac debitis cum cautionibus ſpiritui concedenda.

Haec argumentationis ſpecies magis oratoria, quam philoſophica eſt. De inductione nihil dicam. De ea quippe ſuperius pertractatum uberrime.

F I N I S.

ERRATA *CORRIGE*

Pag.	lin.		
87	17	propagatio ſit	propagatio ſit
19	23	ab odori	ad odori
20	6	perpetua	pertuſa
121	5	CAPUT VI.	CAPUT IV.
141	10	iſteſt	ideſt
143	11	Mors	Mare
181	26	exiſtentia Conditoris	exiſtentiam Conditoris
192	25	*argumentorum non apparentium*	*argumentum non apparentium*

Caetera
Lectori benevolo.










CAROLI DE AQUINO

SOCIETATIS JESU

ORATIONUM

Tomus I.

Complectens Funebres.





ROMÆ, MDCCIV.
Ex Typographia Antonii de Rubeis
in Platea Cerensi.

Superiorum Permissu.

MICHAEL ANGELU
TAMBURINUS
Vicarius Generalis Societatis J E S U

CUM Tomum primum, & secundum O-
tionum P.Caroli deAquino,Societatis n
stræ Sacerdotis, aliquot ejusdem Societa
Theologi recognoverint,& in lucem edi p
se probaverint, facultatem facimus, ut
pis mandetur, si iis, ad quos pertinet ita
debitur. Cujus rei gratiâ has litteras ma
nostrâ subscriptas, & Sigillo nostro muni
dedimus. Romæ 29. Martii 1704.

Michael Angelus Tamburinus.

MATUR.
Reverendissimo Patri Magistro
Apostolici.

s de Zaulis Episc. Verul. Vicesg.

---

iones P. Caroli de Aquino è So-
esu Paternitatis Tuæ Reveren-
su accuratè diligentèrque perle-
is non modò nihil offendi quod
ni, aut honestis moribus adver-
d omnia potiùs cum summi Ora-
dignissima animadverti ob dicen-
ivitatem, atque elegantiam, tum
arum luminibus illustrata, quæ
audis aut ex literis, aut ex præcla-
ius petendæ viam facilè ostendant.
rebus cum summam utilitatem le-
fferre possint, studiisque litera-
arum prodesse, dignissimas esse pu-
publicam lucem edantur.

Vincentius Santinus.

IMATUR.
a Carus Mag. & Soc. Reverendissi-
Paulini Bernardini S. P. A. Mag.

IN-

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

INDEX ORATIONU[M]

Quæ Tomo I. continentur.

 In-

IN-

INDEX ORATIONU

Quæ Tomo II. continentur.

ORA-



ORATIO I

DE CRUCIATIBUS ET MORTE CHRISTI DOMINI.

Habita in die sacra Parasceves in Sacell[o] Pontificio, ad INNOCENTIUM XII. *Pontificem Maximum*.



AVIS illa, B. P., q[u]
Ducem vehebat, cui ve[...]
& mare obediunt (*a*); q[...]
novum deferebat Jonam [...]
ad latiorem Ninivem à f[...]
vitute scelerum vindica[...]
dam; quæ non Sabæ Re[...]
nam (*c*) ad sapientissimum Salomonem, [...]
rerum procreatricem Sapientiam ad mundi [...]
tua adduxit; quæ non ad diripiendum aur[...]
Ophi[...]

(a) *Matt.*8. (b) *Jon.*1. (c) *Paral.*2.9.

d), sed ad terras cęlestibus mercibus
letandas felicissimè solverat; illa, in
Navis Institoris, de longe portans panem
, nostræ pretium salutis; illa, cujus
t delineatio, Noëmi (f) humani ge-
auratoris Arca; quid loquar rei fune-
uncius, aut quid potiùs in tanta infor-
bitate non loquar? venit (g) in alti-
Maris, & fœdissima tempestate de-
Rem dictu atrocissimam, & lacri-
, quàm verbis commemorandam,
cio tragico distans, tanta fide refe-
tâ, utinam ventorum aut maris, &
hominum perfidiâ, gesta est.
ım Regem magnopere sibi Judæo-
conciliasse sacra docent volumina,
ionem Sacerdotem & ejus gentis
ujus exempli litteris: (h) *Quoniam
entes obtinuerunt Regnum patrum
lo quidem vindicare Regnum, & re-
sicut erat antea; & electâ feci mul-
ercitus, & feci NAVES BELLI-*
: ferme sententiam crediderim su-
s de revocando ad pristinam di-
ano genere arcanum illud ema-
nasse

(e) *Prov.31.* (f) *Gen.6.*
) *Machab.1.15.*

naſſe conſilium, ad quod maturè delineandu
& tempori aggrediendum, immenſo æter
tatis laborante ambitu, providentiſſimus
rum Opifex vim omnem divinæ mentis int
derat. Quocirca ut hominem ſuis coagm
tatum manibus, ſuique ad cęleſtem vitam
ſpiramine animatum, ab inferorum fauci
eriperet, ingentemque ſui Regni prædam
Tartareo raptore repeteret, Filium, eâd
ſibi atque individuâ naturâ conjunctum, c
cio noſtræ mortalitatis, quaſi repagulis im
cillæ navis, incluſit. (*i*) Exultavit ille, ut
gas, ad currendam viam, eam ſcilicet via
quam non uſu dumtaxat multò laborioſ
mam, ſed vel cogitatu difficillimam Salon
reputavit, viam Navis in medio Mari (
Egregios illi Socios ad expeditionem omni
operoſiſſimam amantiſſimus Pater adjunx
exiguos quidem numero, ſed vividam bel
ut ajebat ille, virtutem.

Interminata & immenſa maris planities,
monſtroſis belluarum molibus inhorreſcit,
æſtuantium undarum aſſultibus, diſcord
ventorum præliis, ingruentium procella
turbinibus eſt obnoxia, ut faciliùs fortaſſe q
piam fluctus ipſos, quàm pericula maris e
me

(i) *Pſal*.18. (l) *Prov*.30.

Quam ob rem non immodicè, jactan-
it temere dictum est, robur illi & æs
circa pectus fuisse, qui formidolosa un-
spatia trajecturus, querceam aut pineam
im compagem primus ignoto mari
sit. Iis etiam eâ causâ pene dixerim
:ndum, qui primam Argivorum navem,
m præmio felicis audaciæ, inter cæle-
ulerunt Signa, ipsos verò vectores di-
onoribus affecerunt. Atque adeo mini-
dcirco fuerit demirandum, si cælestis
chithalassus, cujus animo præsentissimi
it innumeri exantlandi labores, gravissi-
pediendæ difficultatum ambages, & illa
n undarum, quàm acerbissimorum ca-
nfinita vastitas permeanda, pavere cœ-
n), & mœstus esse. Nam si, quod verè
rmatum à Tragico Scriptore, pejor est
imor ipse belli, quidni prægustatus in
rissimæ navigationis timor ipsa sit navi-
e molestior? Cum igitur peritissimi Na-
animo obversaretur, angusti calicis obje-
clusus, amarissimi fellis Oceanus, ejus-
res veteris Oraculi voce personarent,
igna est velut Mare contritio tua; nihil
s fuit, quàm ut angoris & mœstitudinis
nu-

Marc. 14. (n) *Thren.* 2.

nubem mente collectam in cruenti imb fluenta dissolveret. Utinam autem sanguin mihi lacrimas dolor & commiseratio suppe tarent, ut aliqua saltem ex parte possem exp gere divino sanguine redundantem sudore quem elicuit impendentis procellæ metus, fu ri horror naufragii, & hac illac ex adve congredientium cogitationum tristissima v tatio. Quamvis nisus ille, quo cum strato terram corpore visus est animus ipse defice non tam ærumnosum iter pavescentis fu quàm provocantis. Disertissimæ illæ sangu guttæ gestientis ad optatam metam animi p debant impetum; sævientium undarum at ventorum moras & lentitudinem exprob bant. Tædio demum non magnæ, sed ta nimis seròque advenientis calamitatis, im tiens cunctationis animus conflictabatur.

At, inquies, solutum fractumque viri refovebunt Sociorum fidissimi, quos à pi toriis actuariis & vilissimo mercimonio ad P toriam illam nuper evexerat; quos non ita dem ad sympofiacam concionem coactos, rem præclarè gerendam, oratione incitav dignitatis benevolentiæque plenissima; qu ut laboriosam navigationem fortiter sust rent, egregio priùs viatico, Epulo nempe

mo

, instruxerat. Verùm illi, veteris
officiorum immemores, segnitèr
nt. Obdormiscunt tantum? Uti-
ssima non evigilasset ad oscula ne-
itor, qui sanguinei sudoris diffusio-
em adhuc Domini faciem exoscu-
e guttulam quidem cruoris, ad im-
nam frontem pudore obtegendam.
Utinam Ancillæ voculâ exarmatus
intimus eò graviùs commilitii fidem
set, quò sæpe fidentiùs se periculo-
isque socium amantissimo Duci de-
Utinam fides & Religio turpi fuga
set reliquis Domesticorum, quos ad
simam expeditionem, amplissimis sti-
& sacramenti nexu authoraverat.
intestinam hanc luem, & suum ipsa
m ferret navis infelix, quid adorien-
is fluctuum ferociam referam? quid
m scopulorum sævitiam? quid qua-
s commemorem Annæ, Caiphæ, Pi-
Herodis domos, è quibus, tanquam
sitis totidem ventorum sedibus in mi-
vis exitium violenti vorticosique tur-
nspirarunt? Quantâ vero, Deus im-
s, immanitate & licentiâ conspirarunt!
te sacro vultui, ubi sedem statuerat pu-
dor,

dor, inflictas alapas, & in ipsum divinæ S
pientiæ os ab infimæ plebis purgamentis & f
ce audacissimè insultatum. Expendite histri
nicæ purpuræ dehonestamento contectos h
meros, quibus universa Orbis vastitas le
pondus incumbit; additum ludicro Regi scu
rile sceptrum, & rerum creatarum effect
cem manum ipsa arundinis levitate gravissin
oneratam. Mira quidem & inaudita reru
conversio, cum furiosi homines pannoso eu
virum paludamento,& scenicis dementiæ In
gnibus ludificarentur, cujus supra humani
ptum ingenii effulgētem doctrinam vel in pu
rili ætate suspexerant: cum, velatis oculis, ta
quam jocularium divinatorem exsibilaren
quem Majorum suorum vaticiniis expressu
carminibus celebratum, votis longa sæculoru
expectatione non fatigatis, avidissimè ipsi p
stolabantur. Huncine fuisse reputaverim,
quo illæ toties iteratæ sunt preces, illa
ties vota concepta: (o) *Utinam disrumperes C
los, & descenderes*: & haud ita multò po
(p) *Ecce ego inclinabo super eam fluvium pac
& quasi torrentem inundantem gloriam G
tium*. At verò ego sacrorum Vatum fidem,
rentis hujus populi Majorum memorias app
lo.

(o) *Isai.64.* (p) *Isai.66.*

ımne faciem excuſſiſſimis palmis verbe-
in qua illæ ab omni corporum concre-
:gregatę Mentes, felicitatis ſuæ regiam
t? Eaſne arentis cannæ geſtamine illu-
ıs, de quibus illud eſt illuſtre teſtimo-
Longitudo dierum in dextera ejus, & in
ius divitiæ & gloria? Ignominioſum-
ıentum illam obnubilaverit ſerenita-
ɔrum, qui (r) *de longe proſpiciunt, &*
t omnem hominem? Quid hic ego pri-
ıid proximum, quid extremum de-
que deteſter? O Judicum urnas ta-
equiſſimas! O profanam impiorum
n ambitionem! O inſcitiſſimi inſa-
li cum turbæ militaris procacitate
Non equidem immeritò, B. P., ab
Timorum Judicum & Sacerdotum
menter ſiniſtrum quidpiam omi-
ıgiebat mihi animus adversùs pre-
Javem vim inde procellarum acer-
ıram. Huc procul dubio reſpexit
ıtis Jeremiæ (s) minax denuncia-
ım quatuor ventos à quatuor pla-
confringam arcum & fortitudi-

icam, aut quibus lacrimis cum
aman-

(r) *Job.* 39. (s) *Jerem.* 49.

amantissimo Patre de illatis Filio injuriis non expostulem, dum non modò æquiparatur cum bustuario grassatore, sed, Optimatum & proclamatoris populi suffragio, longè flagitiosior ducitur, quàm ut præ homine palam facinoroso morti subducatur. Actum nempe cum Duce fortissimo, sempiternæque gloriæ Principe, tanquam cum probrosissimo Archipirata, qui non supernarum merciũ Onerariam ad terras divitiis augendas ageret; sed cum infesto Myoparone, ad vitam latrociniis sustentandam, obsessa maria excurreret. Hanc scilicet benevolentiæ suæ mercedem & pretium reportat, qui hominum miseratus egestatem, non Americanas sed cælestes opes advehit, (t) *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*. Agite verò, & cujus dignitatem contumeliosè despectam non sine horrore atque indignatione vidistis, ejus concisa vulneribus membra, corpus verberibus laniatum proscissumque intuemini. Corpus inquam illud, Templum Divinitatis, Cortina Sanctuarii, discerpitur, diloricatur, excinditur. Quò, quò, scelestissimi lictores, efferatum ingenium, inexpletam rabiem exsaturatum itis? Qui Romanum civem ad columnam obligare refugeretis, eo-

B dem

(t) *Joban.* 10.

dem supplicii genere in eum, (*u*) quem colum-
iæ Cæli contremiscunt, animadvertere non
:rubescitis? Sed quò tandem, inquam, ve-
:ors vos amentia pertrahit? Sampson is est,
jui non unius ædificii columnas, sed Cæli ti-
bicines uno valet vocis imperio nutuque con-
vellere. Quem ad delassatas usque vires, &
deficientem ferociam cæditis, is est scilicet, qui
(*x*) *respicit terram, & facit eam tremere, qui
tangit montes & fumigant*. Sed quovis mar-
more ferroque duriora pectora irrita conque-
stione pulsantur. Longo beneficiorum usu di-
licerunt, fortissimum Nazaræum non homi-
ıum sitire sanguinem, sed salutem; non rui-
ıam, quæ justè nocentes opprimat, anhelare,
ed fœdissimè jam dejectos ut in brachio forti
& extento clementer erigat, unicè obnixè-
que contendere. Ipsa truculentos sicarios Rei
benignitas armat; ipsa beneficia parricidialem
exasperant rabiem, eòque illos perducunt, ut
nullius compertum maleficii, & commentitia
dumtaxat criminatione lacessitum sacrilegè
denudent, saxo inhumaniter adstringant, as-
perrimis flagris, ferino plane more dilacerent.
Dum verò sævissimi virgatores tanquam fugi-
vo lora intentant, & cruentos in omni mem-
bro-

(u) *Job* 26. (x) *Psal*. 103.

brorum parte sulcos aperiunt, quid nisi armamenta jactatæ Navis disjicere videntur, omnem laterum compagem solvere, vela discindere, malum effringere, donec immodico illisu quassata, ingentem vim non tam aquarum acciperet, quàm effunderet sanguinis? Hæc victoriarum insignia, hoc retulit rostratę coronæ decus, qui (y) *naves Tharsis contrivit, qui divisit mare rubrum, qui currus Pharaonis dejecit in mare*. Quamvis nec illi ferale defuit coronamentum, dumis asperè cuspidatis verè rostratum. Nec rostratam dumtaxat coronam invictæ classis Præfectus, sed universi hominum generis Servator Civicam è quercu meruerat, è gramine Obsidionalem Tatari expugnator, Triumphalem è lauro qui Inferorum domuerat potestates. Sed quonam novum illi contigit victoriæ genus, quo per extrema solùm corporis animique cruciamenta, & mortem despectissimam potiretur, novum propterea sertum emeritæ fronti complicati in orbem sentes adornant; ut quem Victorem fecerant despectio & dolor, Victorem etiam coronarent.

Vates ille, Græcorum longè ingeniosissimus, postquam Ulyssem aliis ex aliis laborum

(y) *Psal.134.135.*

atibus agitatum diuturnæ navigationis fatigaverat, Ithacensi demum patrio opularium lætitiæ, propinquorum grai, Sponsæ exilientis amplexibus sosedonavit. Satis habuit fabulosi Carmihitectus protasi turbulentæ epitasim iorem adstruere: catastrophen ad læus reservavit, minimè ratus humana: virium, continenter miserum esse; rò vitam vocari posse, cujus utramque calamitas faceret. Navigationem in difficilem, in progressione iniquissin portu exitiosam ille solummodo nade quo Psaltes cecinit: (z) *In mari & semitæ tuæ in aquis multis*. Testes inæ Golgothæ Syrtes, ad quas discis velo nimirum humanitatis, quo Diugebatur, fluctus illum decumanus iit (a) Manus illæ, quæ fabricarunt m & Solem, rigidissimis affiguntur cla: cruento mari demersus cælestis Patutissimum Crucis gubernaculum ne quidem morte dimitteret. Pedes illbus scabellum terra substernit, ferro, expeditissimè adhuc (b) ambulant suidem & basiliscum, firmissimo adhuc ro-

(z) Psalm.76. (a) Psal.73. (b) Psal.70.

robore Draconem Tartareum Leonemque conculcant. Immanis trunci pondere oppressus nostræ adimit servitutis jugum; & à primo homine ad posteros propagatum culpæ lethalis incendium extinctus extinguit. Verùm facessat rudis verborum pompa, ubi crudeliter perempti Numinis causam natura ipsa, publico quodam indicto justicio, disertissimè peroravit. Emota tellus, ne impios parricidas sustineret, subsultim latè contremuit. Repentinis hiatibus diffissi montes Authoris sui lacerationem & vulnera imitabântur. Ut improbitatem & audaciam viventibus exprobrarent, ex adapertis tumulis ad vitam prodierunt cadavera. Et quoniam nox infando sceleri occultando satis tenebrarum & caliginis non habebat, ad congeminandam cæcis mortalibus noctem, Sol ipse atratus incessit. Nihil aut ad commiserationem, aut ad vindictam superesse debuit, ubi nihil ad sceleris atrocitatem superfuit; puduitque Naturã horrori suo testificando finem facere, ubi excogitandis infligendisque pœnis nunquam erat hominum defatigata crudelitas.

Instructissima Carthaginiensium classis à Romanis, in ipso Africæ conspectu, ad Ægimurum cæsa, inæstimabilem prædæ magnitudinem naufragio suo patefecit. Adversis quippe

.cta ventis, & saxis allisa, cum opulentæ ja-
:tatæ merces ubique fluitarent, omnia demum
atissimi maris littora, promontoria, insulasque
litavit. Profuit clades pompæ ostentandæ; &
lisjecta classis ruinâ suâ major apparuit. Non
mius tantùm maris littora, sed omnia terra-
um spatia divinæ Navis naufragium novis
:xaggeravit maximisque divitiis. Estne quid-
[uam, quod ei acceptum non referamus, qui
ıos amplissimi patrimonii hæredes, abjudica-
ɔs priùs & expunctos, instituit? Nobis sangui-
eus ille ex tædio & pavore sudor sinceræ illi-
ıatæque in ejus amicitia pacis serenitatem pe-
'erit. Spoliatus ipse nostram immortalitatis
hlamyde obtegit nuditatem. Nos, probrosè
:ontemptus, gloriæ suæ consortes associat; du-
ıis pręcinctus, ad sertum evocat stellis contex-
ım; in Cruce suspensus, triumphalem invitat
d currum. Ejus nos armat infirmitas, lan-
uor corroborat, depressio attollit. Servitu-
s nostræ laqueos suis ille vinculis explicat. Sui
vore corporis malagmata & amuleta nostris
xhibet morbis. Nostrarum denique sunt em-
lemata victoriarum, quas cruentis manibus
edibusque retinet vulnerum cicatrices. Quam-
is verò nullus sit terrarum angulus tam abdi-
ıs longèque submotus, qui non aliquem cœ-
pe-

perit fructum ex dispersa post triste naufragium gaza cælesti, nusquam tamen apertiùs elucescit, quantæ post eam submersionem opes ad nos pervenerint, quàm in hujus luce Consessus, majestatis gloriæque plenissimi, & quo nullus in terris propiùs ad imaginem Divinitatis assurgit. Neque enim Tyrus aut Sidon, sed sui Navarchus ille effusione sanguinis has purpuras coloravit. Sua ille clade in hoc Vaticani fastigio erexit atque firmavit sanctissimi Fasces Imperii, de cujus dignitate & amplitudine splendidè est verèque dictum: (c) *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei*. Postremò solatio est, post Naufragium illud exortam, cursum auspicatissimum inchoasse alteram Navim, quæ à Petro, solicito impigroque Gubernatore, ad alios per manus tradita, licet ab innumeris hostibus sæpissimè vocata sit in altitudinem maris, & omnibus concussa Infernarum viribus potestatum, nullis tamen ventorum impulsibus, nulla unquam tempestate demersa est.

(c) *Psal* 71.



TIO II.

FVNERE

OLI II.

IARUM REGIS.

'ica S. MARIÆ MAJORIS
'acra Parentalia.

RÆCLARE' ſapienterque inſtitutum, & ſummâ cum laude à Populis liberali ingenio præditis excultiſque uſurpatum eſſe video, ut, quarum virtutum ornamentis maximi Principes præcio effloruerint, earum appelnomina, ad omnem diuturnita-

nitatem futuri temporis,insignirent. Hinc illos, aut à claritudine rerum gestarum Magnos, aut ab animi suavitate atque clementia Pios, aut ab omni promeritâ commendatione in bellicis disciplinis, Audaces, Fortes, Expugnatores Urbium nominârunt. Hæc decora Regum clarissimorum, atque hanc in iisdem efferendis consensionem, moremque populorum cogitanti mihi non fuit admodum laborandum, ut Cognomentum illustre, inusitatum, ac prope divinum afferrem, quo Caroli Secundi Hispaniarum Regis cælestis virtus designaretur, & quo simul tot florentissima Regna per Orbem terrarum, quàm latissimè patet, disseminata, in ejus acerbissimo funere, orbitatem suam luctumque gravissimum solarentur. Præcepistis animo appellationem illam longè nobilissimam, eamque permagni æstimandam gentium omnium vocibus, Orbisque Christiani universi asseveratione, qui Regem Carolum Regem Angelicum non modò passim dicere, sed palam prædicare, testimonium esse duxit, non assentationi, ut assolet, sed præstitum Veritati. Non igitur ad tenuem hunc exilemque modulum humanæ potentiæ conformatam, non coarctatam inter nimis angustos cancellos mortalium titulorum, quos nostra solùm cupiditas,

&

magnos facit, honorariam nun-
iuam nancifcitur Carolus; fed il-
1o domicilio, regnoque immor-
ît; ut cujus nulla pars vitæ quid-
:um terræ fordibus atque con-
'une, ejufdem vel nominis infi-
entum è Cælo folùm, & puriffi-
:enderet.

njecturâ aliquâ capiatis quàm
latèque Carolus fuum Regis
ıentum impleverit, ad Mentes
ɔorum admixtione fegregatas
ras attollite. Nullo impen-
cæleftes Aulici rerum Natu-
ım præfertim fecuritatem
t, quàm impulfu & con-
Orbium incitatiffimâ, quę
, tantâque dimenfione con-
mo concentu noftras etiam
' harum hebetudo tanti fo-
nceretur. Jam verò à bea-
ıtrię profcenio in terram
mpliffima Catholici Re-
'ot Populos non tàm lin-
/erfitate difcordes, tot
um marium interjectu
ıfam Provinciarum Re-
gno-

gnorumque laxitatem, ubique animo præſens Carolus tantâ conſilii maturitate, tantâ Imperii moderatione temperavit atque conjunxit, ut, ſi gentium longè diſſitarum tranquillitatem, fidem, concordiam reputemus, nihil ejuſdem Regnis ſupernorum Orbium concentui in Terris fuiſſe ſimilius fateamur, neceſſe ſit.

Occupare autem hìc liceat mihi, quod vos contra tacitâ, ut ſuſpicor, cogitatione ſtatuitis. Quorſum enim iſtam à me jactari tranquillitatem Regnorum, quæ, per omne fermè tempus impeditiſſimi Principatus, aſſidua bellorum incendia aut alerent, aut ſuſtinerent? Ubi enim, aut à quibus populis ceſſatum eſt? Itali, Sicilienſes, Hiſpani, Burgundi, aut in armis ſemper, aut in armorum metu. Nam de Belgis quid dicam? quos aſſidui Martis vices ſic exercent, ut tantùm non nati ſub caſſide videantur. Hancine rerum perturbationem, hos tumultus, hanc ſubditarum nationum trepidationem, conſtantem & æquabilem Principatus concentum appellas? Verùm hunc ipſum ego locum petebam, quem ſcopuloſum fortaſſe aliqui atque difficilem, ego explicatiſſimum eſſe cenſeo. Quinimò videte ingenuitatem meam, qui importunas illas hoſtium incurſiones, ſiniſtros illos præliorum eventus, illas ubique graſſantium armo-

rum

iurias non modò nihil dissimulatas, aut
ıtas velim, sed illis ultrò adjungam Au-
lâ lætam susceptâ sobole, teneram ple-
Regis ætatem, corpus causarium, vi-
oris imbecillas, valetudinem non affe-
·dò, sed validissimis morborum aggres-
sæpè concussam, semper obnoxiam.
ɿuidquam à me in tam adversâ Regis
e aut callidè occultatum, aut dolosè
sum putetis? Agite verò, & quales
ud obscurum habeo, æquos rerum
's mihi vos hìc exhibete. In tantâ to-
: agitatione, in tam frequenti belli-
ıtuum adversitate, in tot acceptis
: munitissimis Urbibus ab hostibus
quæ mens subditarum Gentium,
qui motus animorum in Carolum
Vestrum, opinor, fugerit nemi-
ema hæc temporasæpiuscule ten-
letudinis, fallos etiam rumores
per universam Europam incre-
projectâ omnium spe, ad illam
ani generis faciem calamitosam,
ım, quod imperium abruperit;
e se commoverit; Civitatem,
ndâ vel levissimè cogitaverit.
›ste ubique valescente, obse-
quii

ſequii firmitas atque conſtantia; tam inconcuſſa in toties oblatâ novarum rerum commoditate fides, & obtemperatio; tam unanimis atque conſentiens apud diſperſas per utrumque terrarum Orbem Nationes in Principem obſervantia, aut magnopere me fallit animus, aut nimis apertè ſignificat prædicatque, Regem tam reverenter, tam amanter habitum in tantâ opportunitate licentię,ab omnibus non humanum, ſed planè Angelicum fuiſſe exiſtimatum. Per cæteros ſi libet Principes, qui ampliſſimam in terris obtinent poteſtatem, excurrite. De bello Chriſtianis provinciis inferendo Turcicæ gentis Regnator deliberet. Continuò Perſæ fœderati de repetenda armis Babylone cogitationem ſuſcipiunt. Continuò Arabes invadendæ Mecæ (ſic enim vocant quam veteres Marrabam nominarunt) impuriſſimique popularis ſui Mahometis ſepulcri aſſerendi conſilia ſociant. Nihilo ſegniores Ægyptii Memphim infeſtam habent. Scythæ ad Tanaim, Iberi ad Caucaſum obſequium exuunt, excurrunt infeſtè, effractis reverentiæ repagulis arroganter ſe & contumaciter inferunt. In ipſa Bizantii Regia legiones Prætorianæ in turbas diſcedunt,regias perrumpunt ædes, Principem circumſiſtunt,. congiaria armati depoſcunt. Si numeran-

. mora protrahitur, è folio de-
jugulum ferro hauriunt, novos
ſt, licentia militari, ſubſtituunt:
ſi collibeat, avaritiæ ſuæ crude-
t. Res eſt cuilibet exploratiſſi-
:giminis diſciplinam multò maxi-
m eſſe, utique ſi cum Auſtriaco-
n imperio, quod omnium con-
ſimum, comparetur. Nullas in-
avitas opes, nullas Urbes & op-
poſſident nomine. Ad unius vi-
ad unius voluntatem cum preca-
lerant, vita, vitæ etiam ſubſidia
Nam cenſus, hæreditates, patri-
arbaras gentes barbaræ etiam vo-
autem mecum, Auditores, de
overſia cognoſcite. Si natio tam
s, & quæ quorundam loco Nu-
: habet, per externi tamen occa-
non ferendam libertatem uſurpat,
ninorum capita impunè inſoleſcit;
:ra de Caroli virtute opinionem
:eſſe eſt innumeras prope gentes,
um fides, amor, obſervantia, lu-
iiùſque inter perpetuas armorum
nituit? Sed pudet me Caroli Re-
thomannorum immaniſſima cru-
de-

delitate conferre. Scio vos esse certissimos, Romanam Rempublicam optimarum legum temperatione ad aliarum etiam nationum exemplum normamque floruisse. At illa partam foris gloriam, & procul victrices aquilas quantis domesticarum seditionum tumultibus luit? In remotissimis regionibus rem strenuè agebat: ultra Tigrim & Euphratem imperium propagabat. Sed nuncii victoriarum vix aditum in Curiam inter armatæ plebis sicas invenire poterant. Obstinatiùs & majori sanguinis copia Romæ pro lege Agraria, quàm in Parthia vel Armenia pro finibus certabatur. Quoties occupatum Janiculum? Quoties Aventini munitiones insessæ? Quoties illa, Patribus exitiosa, Tribunitia potestas Forū Nobilium cruore resperfit? Mitto Gracchanas, Appulejanas, Drusianas seditiones. Mitto concertationes illas civiles, sanguinolentas & diuturnas, Bellum Sociale atrox sævumque, quarum vel recordatione cladium Annales funestantur. Herdonii, Euni, Athenionis, Spartaci, servorum nomina, ad sempiternum principis gentium Populi dedecus & ignominiam supersunt. Nimirum ut inter Punicas, Creticas, Mithridaticas expeditiones, legerentur etiam Bella Servorum. Jam verò ab illa acerbitate temporum ad suscepta

bella cogitationes reflectite. Fla-
t, Belgium armorum incendio:
opulorum quies, quanta tranquil-
entiâ ubique in Principem, obſe-
certatur. Hoſtium impulſæ ma-
ſſimæ arces procumbant: fides pe-
labaſcit. Repetitis cladibus exer-
itur: viget ſervitutis conſtantia. Si-
e eventus ingruant:fides & obtem-
æ ſumma eſt & pulcherrima gloria
, ipſa fortunæ adverſitate corrobo-
rò eſt, Auditores, quod planè non
oſſit niſi ab Angelico Rege præſtari.
quod populos, fruſtra obnitente
difficultate temporis, in officii per-
firmiſſimè retinebat.
em, quò minùs de Angelico prope
ddubitarent, multæ illis cauſæ atque
ſuppetebant. Feliciſſimæ illæ Cæli-
nes, dum Cæli curſus viceſque mo-
ege certiſſimâ, naturæ magis uſui &
quàm ſolidæ mortalium felicitati im-
curas credas impendere. Ad longè
fructus à nobis capiendos illa perti-
ior beneficentia, quâ vitæ noſtræ
Tutelares Genii, dum rerum noſtra-
morumque curam amantiſſimè obni-
xèque

xèque suscipiunt, Conditoris sui splendorem nomenque suapte Majestate supra omnem captum exaggeratum, nostrorum quantulacumque demum piorum operum accessione, latiùs proferunt explicantque. Ego verò, si tot tamque præclara Pietatis tuæ, Rex Carole, monumenta non dicam efferre exornando, sed recensendo persequi vellem, in tam amplum me, latumque campum conjicerem, quàm sunt Regna, quibus cum imperio præfuisti, omnium, post hominum memoriam, longè latissima. Dicerem in immensos Americani Orbis tractus Romanam Religionem à te aut indagine supra fidem laboriosâ recenter invectam, aut novis ubique Templis atque Sacrariis excitatis amplificatam, aut per incredibilem auri profusionem, auctis Religiosorum hominum cœtibus, qui ad rudes populos erudiendos excurrerent, firmissimè in posterum stabilitam. Commemorarem, pro eâ, quâ pollebas gratiâ apud Summos Pontifices, Princeps Apostolicæ Sedi in omne tempus addictissime, enixis precibus, & summo studio te contendisse, ut tot cælesti inter mortales virtute fulgentes Viri Cęlitum fastis arisque reciperentur; aut prolixior iisdem à diurnis sacrorum hominum precibus, & re divinâ honor accresceret. Concelebrarem ef-

fusum Regium Ærarium aut alendo Turcico bello, aut perfringendæ improbitati, Romanę Ecclesiæ perduellium. Tot erectos honestissimarum Virginum Parthenones, validissima munimenta tuendæ Virginitati: Tot condita Religiosis familiis cœnobia, ad capessendam immortalitatis curam tutissima perfugia: Tot ab erroribus in Septentrione grassantibus vindicatæ Juventuti aut posita, aut opulentissimis proventibus aucta Ephœbæa, ad retundendam Hæreticorum audaciam munitissimas arces & propugnacula.

Quemadmodum autem cælestes illi supremi Numinis Administri non alio magis incitamento ad omnem divini cultus rationem proferendam exardescunt, quàm illo igne suis mentibus penitùs insito & ingenerato, quo suavissimè ipsi incenduntur; ad eum planè modum Caroli animus, eximio virtutum omnium studio incensus ipse & inflammatus ad Religionis Pietatisque ardorem ubique collatandum, ad tot laudatissimas Cælo transcriptarum gentium prædas, & lucra conquirenda redundabat. Utinam secretiores Regii Conclavis secessus, utinam tot Templa, tot divinis beneficiis in primis illustria Sanctuaria narrare possent ardentissimas illas preces & vota, quibus Regnorum suo-

ſuorum incolumitatem, aſſiduâ ad Deum Cæliteſque ſupplicatione ſuſtinebat. Quid autem hìc pluribus exornem illibatam illam vitæ morumque integritatem, quâ ita omnia ad religioſiſſimam virtutis præſcriptionem exegit, ut animus tunc verè maximèque Regius, nihil magis metueret, imo id unicè reformidaret & perhorreſceret, ne ullâ unquam criminis labe deſponſam innocentiæ mentem adſtringeret? Quid referam, quàm obſequenter ſubmiſsèque ſe geſſerit, quantâque obſervantiâ excoluerit Parentem ſuam Mariannam, Reginam ad omnia virtutum exempla genitam, & ſupra omnia laudum præconia à cæleſti quâdam vitę ratione ſuſceptâ collocatam? Quid demum perſequar, ſacrarum rerum Antiſtites, viroſque divinis myſteriis initiatos tam honorificè, tantâque palam reverentiâ proſecutum fuiſſe, ut illis deoſculandam de more manum porrigere, quadam tactus Religione, refugeret? Ad illud venio Fortunæ Auſtriacæ certiſſimum pignus, & à multis ſæculis receptum præſidium, Epulum Euchariſticum. Cæleſtem itaque Dapem, ſive ſolenni pompâ, certis anni temporibus, per Urbem deduceretur, detecto ipſe capite, pedibus incedens, cereoque funali manu ſublato, comitabatur; ſive ad publicam in Templis venera-

tionem radiatâ pixide inclusa effulgeret, defixis in illam oculis Carolus Numinis præsentiâ alloquioque saturabat animum; quibus deliciis solida horarum spatia dulcissimè transigebat. Atque utinam huc possem ipsam Mantuam Carpetanorum, rei ad omnem sæculorum memoriam clarissimæ admirabundam simul atque prægestientem testem, adducere. Lectissimo Procerum Comitatu curru per Urbem Carolus vehebatur, cum Sacerdotem, infimæ sortis homini è vitâ decedenti divini Ferculi commeatum deferentem, obvium habuit. Continuò, equis subsistere jussis, desilire è curru, in terram devolvi, tum sacrum Dapiferum in currum inductum ad obscuram ægroti domunculam ipse pedibus subsequi tantâ submissione, tantaque apud omnes admiratione gloriâque sibi conciliatâ, ut jam nemo unus ambigeret, Regem sibi Angelicum contigisse, qui tanto Panis Angelici studio cultuque teneretur. Demum quantâ animi inductione cælestium agminum Dominatrici Deiparæ mancipatus fuerit atque devinctus, non tam plurima, eademque celeberrima per Hispaniam Templa summis opibus aucta testatissimum faciunt, quàm hæc ipsa Liberiana Basilica, Regiæ liberalitatis Pietatisque perpetuum Monumentum. Quæ, si clarissimo

in

in ipsâ mœſtitiâ ſplendore latè diffuſo, emortuali pompâ, pulloque amictu conveſtitur, intelligatis velim, hæc Juſta Solennia, & luctuoſam hanc gratiſſimi animi ſignificationem, quâ ſacer hic auguſtuſque Conventus rite perfungitur, non ad Caroli Regis ſortem, quæ feſtivas, non funebres faces, candidiſſimâ veſte coopertos, non atratos parietes poſceret, eſſe accommodatam, ſed ad noſtram, totiuſque Orbis Chriſtiani vicem dolendam, qui, Angelico Rege deſtitutus, ejuſdem deſiderio luctuque meritiſſimo contabeſcit.






ORATIO III.

IN FUNERE

JACOBI II.

MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS

Habita in Templo Sancti Laurentii in Lucina, dum eidem Justa persolveret Eminentissimus & Reverendissimus Princeps Carolus S.R.E. Card. Barberinus.




SE-

SERENISSIMIS
JACOBO III. REGI,
ET
MARIÆ ESTENSI
REGINÆ MAGNÆ BRITANNIÆ

CAROLUS DE AQUINO FELICITATEM.



I, *quantùm materiæ præstat amplitudine, tantùm ingenii artisque luminibus explendesceret Oratio in Funere Ja-*

cobi II. gloriosissimi Parentis Tui, Jacobe Rex, amantissimi Tui Conjugis, Maria Estensis Regina, iussu Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Caroli Barberini, à me recèns habita, non ingratum Vobis fore sperarem qualecumque hoc observantiæ in Vos meæ, & obsequentissimi animi testimonium. Quid enim iucundiùs Conjugis oculis incurrat, quàm præconia Conjugis? Quid Regia Soboles avidiùs perlegat, quàm consignata litteris exempla Maximi Genitoris? Ad hæc, cum Jacobi Regis præclarè gestorum ita testis fuerit Conjux, ut eundem consilio prudentiâque suâ juverit & confirmaverit; ita admirator fuerit Filius, ut paternas virtutes præstanti animo penitus imbiberit; eo planè fit, ut du-

plici

plici uterque titulo extincti Regis laudes, ut proprias, accipiat habeatque; primùm vinculo ſanguinis, quod eſt utrique commune; iterum, Altera ſocietate laudis, Alter æmulatione Virtutis. Neque verò quidquam obſtat in ſummi Regis Virtutibus efferendis facultatis meæ tenuitas; quam nimirum ornatus cæteri ſplendore Eminentiſſimus Princeps Carolus Cardinalis Barberinus ita inumbravit & obruit, ut cum parietes ipſi Numiſmatis, Emblematis, aliiſve Jacobi Virtutum Symbolis cooperti de eius laudibus diſertiſſimè loquerentur, minimum ſanè ab Oratoris voce expectandum ſupereſſet. Ea certè opulentia operis univerſi atque Majeſtas effulſit, ut Eminentiſſimi Cardinalis multis experimen-

tis ſpectata Romæ magnificentia, in hoc adornando Funere ſeipſam omnino ſuperaſſe ſit viſa. Expreſſiore nullo monumento oſtendere potuit, quàm ſanctè religiosèque coleret Jacobi Regis memoriam; quanto animi ſtudio & obſervantià in Majeſtates Veſtras afficeretur; poſtremò quàm altè impreſſa animo gereret, quæ jampridem à magno Patruo Urbano paterni amoris, & Apoſtolicæ Charitatis erga Catholicos inclytæ Britannicæ Nationis hauſerat documenta. Huc demum perſanè congruit, quod de Romani Equitis in Priſcillam Conjugem pietate ſcriptum reliquit ſplendidiſſimus Vates.

Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum Morte gerit,curaſque fatigat
Artificũ; inq; omni te quęrit amare metallo.

Ego

Ego verò, quemadmodum summo honori meo gloriæque duxi, ut in partem tam illustrium Exequiarum, & ad tanti Regis laudes exornandas vocarer; ita plurimùm debere me sentio & fateor prolixæ in me voluntati Eminentissimi Cardinalis, qui aditum mihi ad Majestates Vestras adeundas, Ipsisque Orationem hanc Funebrem inscribendam patefecit. Ac Vobis demum felicissima omnia, ut, quicumque aliquo Religionis studio flagrant, certè faciunt, ex animo voveo.

ORA-



ORATIO.

NON unam hodie cladem uno vulnere accepimus, EE. PP. Uno magnæ Britanniæ Rege humanis curis exempto, prolixam ſummorum Virorum ſeriem è medio ſublatam requirimus. Illuſtre Orbis Chriſtiani lumen deſideramus, Jacobum Ducem Eboracenſem; longè ſplendidius, Jacobum Regem; clariſſimum ac ferme divinum, Jacobum Exulem. Nihil illo Duce præſtantius antiquitas prodidiſſet, niſi Jacobum Ducem Jacobus Rex antecelleret. Nihil illo Rege ſublimius Poſteritas oſtentaret, niſi Jacobus Rex à Jacobo Exule vinceretur. Regios titulos Eboracenſis explevit; Rex anteceſſit; Exul .... quo tantam virtutem nomine dicam, neſcio: Vos de illius pondere, æſtimatores æquiſſimi, judicate. Perorare hìc potuiſſem, ſi, quemadmo-

dum

dum brevi hoc verborum ambitu, de Jacobo II. magnę Britannię Rege abunde multa perſtrinxi, ita eadem eſſent ad veſtri doloris delinimentum ſatis. Ut hujus vulneris acerbitati, quod meritò in Reipublicę Chriſtianæ pectus, ſupra quàm cuiquam æſtimare liceat, altè deſcendit, levationem adhibeam aliquam, aliquantò latiùs hęc ipſa de ſummo Rege, non alia referam: neque porrò quid ipſe poſtulet, ſupra omnem ambitioſæ laudationis audaciam conſtitutus, quàm quid veſtra hęc pręſens mœſtitia flagitet, reputabo. Nihil proinde ab inſtitutæ partitionis ratione deflectens, conabor oſtendere, militarem diſciplinam ad ſummam gloriam evexiſſe Jacobum Ducem Eboracenſem; vetus & agnatum Anglicis Regibus cognomentum Fidei Defenſoris æquaſſe Jacobum Regem; fines humanæ conditionis prætergreſſum Heroem expreſſiſſe Jacobum Exulem.

Expendite autem quantam ad rem bellicam commendationem afferat, qui duodecim ſupra centum Scotorum Regum Inſignia Faſceſque percenſet; qui tot Domi exempla, tot ſummæ gloriæ monumenta circumſpicit. Fulgores Avorum illos ſuſtinuit inconnivens decennis Puer. Armis ſagoque inter bullas & crepundia candidatus, Caroli Regis Parentis ſui propugna-

gna-

gnator, primos, eosque armatos amores Pietati, prima odia factiosis partibus Anglici Scoticique Senatus litavit. Gloriæ suæ ipsa annorum acerbitate maturior, vitam, quam recèns acceperat, Patri festinat impendere, egregius fœnerator beneficii, quod vix cognoverat. Atque utinam conatus ille tam feliciter processisset, quàm fuit honestâ causâ susceptus. Nec idcirco fortiter audentem usquequaque eventus deseruit. Nam qui præseptus undique interversæ dominationis Legionariis, Oxonii, Londini, ad Castrum Richemondiæ, ad Castrum Novum, in Curia demum Hamporiana, honoris specie, captivitatis nomen tegebat, suppetias venire non potuit Parenti Regio, ad cujus vitæ exitum, supra omne exemplum fidemque calamitosum, omnis Posterorum memoria obrigescet. Sed nulla illi obstitit seditiosorum vis, quò minùs virili consilio solertique, à calcata Hostibus Regia, à Patria furiosorum hominum tabe inquinata generosum effugium impetraret. Dissimulaverat ille quidem Ducem Eboracensem, amictu fœmineo adoptato, ne scilicet hoc etiam Britannico Achilli deesset, ut, mentito sexu, aliquantulum delitesceret. Verùm, cum aureæ Periscelidis, quam imprudens non dimiserat, tesserâ detectus, nihil

hil esset propius, quàm ut ad Custodes iterum raperetur, elata fronte, habituque oris interrito, Subsistite, inquit, Milites; vestræ potestatis est Dux Eboracensis, pietatis vestræ, si de illius salute statueritis, perfidiæ, si de injuria, per omne tempus memor futurus. Exarmavit odia, perterrefecit hostium vultus constantia Pueri, & quidem fœminam mentientis. Itaque, immutata divinitus mente, moras omnes abrumpunt; ad Navigium Præsidiarium Ducem deferunt; simulque ipsi faustissimæ tunc navigationis, mox periculorum omnium socii futuri, Middelburgum apud Zelandos Ducem Eboracensem, Regale depositum, spes Angliȩ, publicæ securitatis Palladium appellunt. Amplissimum hìc illi Theatrum ad bellicam parandam laudem obvenit Belgium, multis experimentis illustrȩ Martis Domicilium.

Assentior planè Scriptori veteri, qui testatum reliquit, non minimùm referre, in quȩ cujusque virtus tempora incidat, quem potissimum campum, in quo possit excurrere, nanciscatur. Actum certè minùs commodè cum Romanis, cùm segni diuturnoque bello consenescerent apud Fidenas & Vejos, obscura nomina. Per ea tempora Belgium maximorum Europæ Regum armis obnoxium flagrabat. Quas ibi

ibi partes summi Imperatoris Eboracensis non obiit? quæ decora non expressit? quas laudes vel ab hostibus non extorsit? Militem in castris morigerum, ad imperia paratum habere; fessis solatio, ægris præsidio esse; nihil à cæteris, nisi virium præstantiâ differre. Mores gentium, locorum opportunitates situsque cognoscere. Hostem adoriri cautè, firmiter sustinere, astu decipere; primus inire prælium, postremus deserere. Quoties per transversos hostium cuneos cum expeditissimo Equitatu felici audacia evasit? Quoties inclinatos Ordines aspectu nutuque in gradum restituit? Nam documenta illa summæ virtutis, atque solertiæ militaris, quæ ad obsessum Atrebatum, & iterum memorabili pugna ad Dunquercam edita, palam exhibuit, non est, quòd tenuitate præconii minora faciam. Præsertim cum virtus illa non modò ad meritissimæ testificationem laudis, sed ad singularem admirationem rapuerit Ludovicum Borbonium Principem Condæum, & Henricum Vicecomitem Turennium, lumina illa bellicæ artis, de quibus faciliùs judicaveris, utrumque maxima, quam uter majori gloria enituerit.

Præstantes terrestribus copiis Imperatores perinde summa navali laude florescere, longè ope-

operosissimi laboris esse, cum res ipsa, tum exemplorum infrequentia jubet esse perspicuum. Ego verò vos, Bataviæ sinus, appello, quos Eboracensis in perpetua Victoriarum suarum monumenta convertit. Dicite vestras Classes iterato prælio fusas atque disjectas; recensete direpta signa, avectas prædas, nauticam turbam, militemque captivum; Obdenii Batavici maris Præfecti præcipitem fugam, & indecorem commemorate. Ad extremum quidem discrimen Obdenius Britannicam Classem, & Ducis vitam adduxerat, cum, directis ex alto in prælium navibus, comprehensam Anglorum Prætoriam, valido Militum egressu, circumstetit. Eboracensis, in re subita trepidaque, arrepto Regiæ puppis vexillo, per discurrentes faces, per displosas pilas huc illuc transvolantes, ubi Mars erat pugnacissimus, sibi gladio viam aperit, saltuque in scapham transiliens, submissam à tergo Presidiariam conscendit. Quam cum nihilo segniores Batavi ferreis harpagonibus arriperent sisterentque, & circa Ducem conglobati, non levi Nobilium strage, manus consererent; iterum Dux Insigne Regium attollens, per suorum cadavera, per ingruentium hostium tela, in aliam Auxiliariam se conjicit, non intellecta periculi magnitudine,

nisi postquam vitaverat. Tunc verò exarsit animus, præclaro aliquo documento, de suorum virtute commonere Batavos; quos inauditę fortitudinis felicitate obstupefactos, haud cunctanter insequutus, ingenti parta gloria, in ipsos Bataviæ portus premit fugatque; Classemque omnem trepidam & paventem, nullo negotio, tormentis globisque incendiariis absumere potuisset, nisi, quos armis vicerat, iterum superare clementiâ maluisset.

Sed video vos de Jacobi Ducis Eboracensis spectatissima in armis laude minimè dubios ad illum Fidei Defensorem Jacobum Regem subsultantibus animis inhiare. Jampridem ille regale pectus, validissimum Fidei munimentum, nefariis Procerum artibus atque commentis objecerat, cum aditum sibi ad regios honores omnem præcidit eodem calamo, quo iniquis Religioni legibus, conceptisque à Calvinianis Architectis conditionibus subscribere detrectavit: si tamen qui ita se regalibus titulis & insignibus abdicat, projicit honores, nec potiùs fœneratur, longèque nobiliorum quæstum, atque compendium facit. Tu verò, maximorum Principum præclarè gestis subserviens, Fama, calamum illum, quem Jacobus tantopere refu-

git, suscipe; notisque nullâ temporum injuriâ perituris, hoc ipsum lucidissimè scribas, Jacobum scribere exhorruisse. Nullus certè calamus de Jacobi laudibus scribet uberiùs ipso Jacobi calamo non scribente. Quid verò illa prædicem spolia ab Hæreseos castris relata, cùm Annam, priorem Conjugem, elati cæteroqui, & præstantis ingenii fœminam, sed alienorum à Fide dogmatum contagione contaminatam, ad Vaticani signa perduxit? Quid opimam illam præclaramque prædam, Carolum Regem Fratrem ab ipsis sempiterni interitus faucibus vindicatum? Unum siquidem Fratrem sanctissimi authorem consilii, impulsorem unum habuit Carolus, cùm à trita tot annis pravarum opinionum semita, sub ipsum vitæ exitum feliciter aberravit; cùm, lecto, ubi decumbebat, in arenam commutato, ægroque corpore validissimum Palæstritam animo induens, eliso Impietatis jugulo, in ipso Romanæ Fidei complexu, non tam extremum spiritum, quàm recentem longèque pulcherrimam de teterrimo hoste Victoriam consecravit. Carolus morti proximus Fratri Regnum, Jacobus Carolo Cælum restituit; non Carolus splendidiorem Hæredem habiturus, non Jacobus fortem ma-

gis & ſtrenuum Deceſſorem. Ubi verò Regnum obtinuit, tametſi, Imperii ſpecie, ingentes illi calamitates evolvendas Carolus reliquiſſet, ipſe verò non falſus animi proſpiceret in funeſtiſſimum excidium erupturum impendentem turbinem, popularium odiis, Potentium ambitione collectum; non idcirco Religionem, jus faſque poſt privata commoda, regnique rationes habuit. Cujus, rogo vos, firmitatis animi fuit, in clariſſima gentium luce, in omnium oculis, Catholicorum ſacra profiteri; rem divinam peragenti publicè intereſſe; ad cęleſte convivium accedere; Romanis ritibus initiatos intimè admittere, efferre, exornare, in ea Regia, quam ſciret obſeſſam ſibi ſtirpique ſuæ alienis, & infeſtis, quia offenderant; in ea Civitate, quò longè faciliùs, quàm reliqua mercimonia, novarum colluviones confluunt doctrinarum? Præſertim cum eventilandis ambitioſorum flammis Hæreſis præſtò eſſet, vulgato jam Monſtri ingenio, obtentu Religionis abrumpere Principibus obſequium molientis. Quàm altè Religionis ſtudium ejus animum occupaverat, cum in Aulam Londinenſem ſummi Pontificis Oratorem, illis utique Regionibus diu occultum atque ſubtractum Sidus, induxit;

xit;

xit; ut luce è Vaticani culmine diffusa deformatam Insulæ faciem inauraret; atque in tot Populorum animis inustas nequissimorum notas errorum cælestibus flammis aboleret atque detergeret? Et quoniam virus illud in regni visceribus penitùs inoleverat; passimque homines privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil in factis moderatum, nihil in doctrina sanctum habere, libertatis partem credebant; nullas Rex officiosæ benignitatis, nullas singularis prudentiæ partes intentatas reliquit, quò in certam perniciem ruentes ad saniora consilia pelliceret. Præterire profectò neminem poterat, Regem, ut erat parabili venia, & ingenio mira quadam suavitate ad lenitatem remisso, sinum non modò pœnitentiæ, verùm etiam beneficiis laxaturum iis, qui ad obsequium remigrare potiùs, quàm fallaci rerum novarum escâ illecti & irretiti, se, Patriam, liberos, fortunasque suas perditum ire constituerent. Ad hæc, ut in posteras etiam ætates vigiles & salutares curas extenderet, adaperta instituendæ Juventuti Lycea, viris perspecta probitate suppleti Magistratus, consignatæ Urbium Præfecturæ, quibus integritas, fides, Reipublicæ studium suppeteret. Postremò cum homines, quibus nul-

la ex honesto spes, publica mala ambitioni suæ remedium quærerent; & non divini, non humani juris memores, eò palam tenderent, uti ex scelere jus facerent, & Principis clementiam in alimentum perfidiæ verterent, postquam remedia ex lenitate quæsita in immensam perniciem processerant, illuc invitus pertrahitur, ut armis belloque impendentibus malis occurreret. Neque enim ultra blandiendum erat pesti monstroque, quod elato inflatoque collo Urbes funestaret, vastitatem induceret, Domum Regiam nomenque protereret. Æquissimam armorum causam eventus admodum læti exceperunt. Verùm, propterea quòd arcano Divinæ mentis consilio factum est, ut cædes, proscriptiones, tragicæque rerum conversiones posterioribus annis patescerent, acerbissimi temporis seriem illam omnem, memoratu atrocissimam, conspectui vestro subducam. Nimirum Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ Regnis disertiùs Roma ipsa Romanę Fidei fortissimum exerit Defensorem. Hærent adhuc, opinor, omnium mentibus felicissima illa tempora, cum amplissimo genere, sed ardore Pietatis illustrior Princeps, Palmerius Roggerius Comes de Castelmain à Jacobo Rege, obsequii deferen-

di

di profitendæque Obedientiæ ergo Orator miſſus ad Romanum Pontificem, Anglicorum Regum Legationem, iniquitate temporum perdiu intermiſſam, reſtituit. Quantâ verò comitatus lectiſſimi pompâ, quanta auri profuſione, aulicique apparatus cultu, elegantiâ, copiâ reſtituit? Iterum veſtris oculis ſubjicerem, ad ſpectaculum, ſæculorum interjectu non uſurpatum, exilientem Urbem: cum confertiſſimus ubique populus prętergredientis currus ſtiparet: cum paſsim ad Cælitum Aras Deo grates perſolveret: cum ſummi Regis ſtudioſiſsimi Viri Principes regium Oratorem regiâ magnificentiâ exciperent. Sed quò tunc lætabamur effuſiùs, vehementiùs nunc mœrore conficimur, & ex illorum felicitate temporum magis magiſque hęc pręſentia vulnera recrudeſcunt. Ego certè, nobiliſsime Comes de Caſtelmain, cum te ex alio ſuggeſtu * præſentem alloquerer, tibique inaugurationem optimi Regis, cui noſtri Ordinis homines, multis perſpectiſque de cauſis, devinctiſsimi eſſent, publicè gratularer,

* *Author, Collegii Romani nomine, Rogerium Palmerium, Comitem de Caſtelmain, Jacobi II. Regis ad Innocentium XI. Pontificem Oratorem, Epico de ejuſdem Regis laudibus Carmine ſalutavit, dum ab eodem Collegio ſolenni pompa exciperetur*. Vide Author. Carm. Tom. 2. pag. 22.

conſtituendum à Jacobo firmiter Regnum, gloriosè amplificandum, lætiſsima demum omnia præcipiebam animo; non hujus diei mœſtitiam, non pompam iſtam exequialem cogitabam; me verò, qui recèns inaugurati Regis laudator fuiſſem, acerbiſsimi hodie funeris præconem futurum.

Sed ab invicto Jacobi pectore diſcat conſtantiam dolor. Qui certè, ut ſibi vel maximè imperet, intraque rationis ſepta conſiſtat, vereor tamen, ut ipſius caſus tam fortiter ferre poſsit, quàm ipſe pertulit ſuos. Faſtos evolvite temporum preteritorum; memorias omnes percurrite (ſincera, non declamatoria fide, ingenuè, non jactanter dico) nullum vobis ſummi Herois pectus occurret, in quo fortis & excelſi animi magnitudo vires ſuas validiùs exeruerit, ſua inſignia extulerit glorioſiùs. Ab aviti Regni poſſeſsione dejectus regio faſtigio elatiorem Exulem agit. Non delitescit in exilio dignitas; vigor in caſu non deficit; Majeſtas in umbra non obſoleſcit. Reditum ſibi ad Regnum undique intercluſum proſpiciebat; cum furor & ſævitia intus aleretur, vis & metus foris ingruerent; ſed prægeſtiebat, ſubductâ illâ veluti ſarcinâ, expeditiorem ſe ad ſupremi Numinis clientelam tranſ-

transſire, ſe ſuaque omnia in ejus nutu reponere. Fluxam ſuorum fidem apprimè noverat, eorum quàm maximè, quos arctiùs ſibi beneficiis, & ſecretorum conſcientiâ illigaverat. At eò curatiùs adniti, ut ſua in Deum fides conſtaret, quò ipſe graviori ſuorum perfidiâ impeteretur. Neque verò ſimplex Jacobi Exilium, ſed planè multiplex fuit. Nam qui lectiſsimam Conjugem, Mariam Eſtenſem, ſuaviſsimam verò Sobolem, Vallię Principem, in exilium ſecum adduxerat, iterum exulabat in calamitate Conjugis, per omnia Virtutum exempla tanto Heroi planè comparis Heroinæ, atque alio rurſus exilio afficiebatur in dulciſsimę Sobolis caſu, quam patrias virtutes, perinde ac vultus, ſpirantem, haud ſatis ſcio, ærumnarumne levamentum, an acerbioris curæ cauſam haberet. Ego verò nimis inſcitè Jacobi Exilia percenſui, qui omnium graviſsimum præterierim, Exilium à ſuis regnis deturbatæ Religionis. Alia ſiquidem Exilia minimùm ſentire potuit, à Rege Chriſtianiſsimo tantâ habitus excultuſque magnificentiâ, quanta, & qui exciperet, & qui exciperetur, Regem deceret: Religionem verò à ſuis Regnis exulantem eò gravatiùs ferebat, quò Regnum, in quo verſabatur,
Re-

Religioni addictius esse cernebat. Imò verò, cùm profligatam in Anglia Religionis causam, cum Catholicos Proceres à Magistratibus deturbatos, cum tot præstantium hominum ab illis Regnis ejectorum egestatem, squalorem, rerumque omnium penuriam passim Europæ regna summâ tristitiâ, lacrymis, commiseratione prosequerentur; lugubres illæ omnium voces, ille Populorum luctus & querimoniæ, Romæ præsertim, pulcherrima frustrata spe nobilissimæ Insulæ ad avita Fidei signa reducendæ, suspiria, in Jacobi animum gravissimo quodam impetu recidebant. Se mœroris publici causam incusare; suis unicè criminibus factum esse palam profiteri, ut tantæ cursus felicitatis intercideret, ut illa Regnorum accessione Fides & Religio viduarentur. Interea admirabili illa Exulis pietate, constantia, submissione, quantavis Regnorum adeptione jucundiùs Religio lætabatur.

Nullo facilè iniquiore loco res Romanæ fuerunt, quàm cum, circumvento ab Hostibus Capitolio, Roma, ut sunt Historici verba, nihil habebat reliquum; præter Jovem obsessum, & Camillum Exulem. Calamitosissima certè magnæ Britanniæ facies fuit, cum Religio nihil residuum obtineret, præter validas

qui-

quidem, sed exiguas Catholicorum copias ibidem miserè exagitatas, & Jacobum Exulem. Gemino illa spectaculo media, hinc commiserationem in Regnum, amores illinc suos partiebatur in Regem. Insula, quæ olim Pietatis studio ad invidiam maximarum gentium effloruerat, fœdissimis nunc erroribus deturpata, illam vehementer angebat; sed Regis animus supra casus & incerta vicissitudinum à virtute positus sublevabat. Ab Anglia teterrimis opinionum portentis mancipata incredibilem ægritudinem, ab inconcussa Regis extorris fortitudine fructus capiebat uberrimæ voluptatis. A Regnis olim sibi acceptissimis depulsa languebat; in Jacobi pectore firmissimè retenta triumphabat. Quidni verò in ejus animo triumphum multò splendidissimum explicaret, qui omnes fortunæ vires elideret, tela frangeret, impetus retardaret? Neque enim adversa invenire aditum poterant, ubi fores omnes Constantia præmuniverat; non trepidatio aut metus irrepere, ubi voluntas divinæ mentis arbitrio se fortiter adjungens, in ipsa rerum omnium perturbatione plusquam Halcyonię tranquillitatis dies agitabat. Quòd si pateretur justæ modus Orationis, ut decora virtutum omnia persequerer,
quæ

quæ generoſum illud Exilium illuſtrarunt, hanc ipſam præ Religionis cura mortalium titulorum admirabilem deſpicentiam mirari deſinerent, qui Jacobi animum rerum cæleſtium ardore unicè flagrantem, ac beatæ illius Cælitum Patriæ rivulis largiſſimè irrigatum pernoſcerent. Profectò extremos vitæ annos ad ſimillimam ſupernis Civibus vivendi normam exegit. Divina ſolùm per continuatas precibus noctes, Divina ſacrorum Voluminum lectione, Divina piis alloquiis, mente, oculis, ore uſurpabat. Cum verò ſomni exiguitate, & parciſſimo cibatu vires attereret; cum, voluntaria corporis afflictatione, flagella ſanguine imbueret, laqueiſque chalybe intextis latera adſtringeret; quò demum ſpectabat, niſi ut corpus, tanquam oneroſum impedimentum paulatim dimitteret, quò ad cæleſtem Regiam promptior animus revolaret? Reditum autem illum nequaquam ſimplicem, aut ſolitarium adornaverat, qui Annam Conjugem, qui Carolum Regem Fratrem, qui tot ab Hæreſeos ſignis divulſas illuſtrium bellatorum copias præmiſerat: qui immenſam auri vim, ſuis uſibus detractam, iis ſuſtentandis impenderat, quos ab Anglia, Scotia, Hibernia, Fidei & Regis amor abduxerat. Qui de-

demum Romanæ in Anglia Fidei firmiùs in posterum stabiliendæ, vigili solertique cura, nobilissimam Sobolem, Valliæ Principem, in sinu Religionis instituerat. Quid autem Valliæ Principem dico? Imo vero Jacobum III. bonorum omnium animis lætitia gestientibus, à Ludovico Magno Christianissimo Rege, maximo, laudatissimoque Fidei, Pietatis, Religionis exemplo, magnæ Britanniæ Regem salutatum. Is, ut ex hoc ætatis flore certissima se produnt auspicia, laude bellica, Jacobum Ducem Eboracensem; Fidei propugnatione, Jacobum Regem cumulatissimè referet: Ejusdem vero Exilium Christianæ Reipublicę meritissimo jure acerbissimum, optatissima diuturnaque pensabit, quod Regnorum Sospitator annuat Deus, regnandi felicitate.



DE-

DESCRIPTIO ORNATUS EXEQUIALIS

EXHIBITI IN FUNERE

JACOBI II.

MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS

Ab Eminentiss. & Reverendiss. Principe

CAROLO

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

CARDINALI BARBERINO

In Templo sui Tituli Sancti Laurentii in Lucina.



N eos præcipuè Filios toto animi studio Matres ferri solent, quos intermissâ diu fæturâ procreatos, ipsa facit longinquitas desiderii, & solicita expectatio cariores. Eorum verò partuum amissione vehementiùs eædem tristantur, quos majori

jori

jori jucunditatis fructu post diuturnæ sterilitatis spatia susceperunt. Utraque hæc communium parentum proprietas mirandum in modo eluxit postremis hisce temporibus in hac veritatis Magistra, & Christi Fidelium Matre, Apostolica Sede Romana. Tot siquidem tantisque singularis lætitiæ testimoniis Jacobum II. magnæ Britanniæ Regem ab ipsis Regni primordiis prosequuta est; tam eximiâ benevolentiâ amantissimum Filium amplexa, nulla materni amoris satietate, pectori adstrinxit, ut longæ, quam in Regia Stuartorum Familia sustinuit, damna orbitatis, hac una suscepta prole, abunde sibi rependi, atque pensari viderentur. Accepto autem nuncio de ejusdem interitu acerbissimo, eò graviùs indoluit, quò majorem antea lætitiam atque voluptatem animo præceperat. Gravissimi certè luctus sinceras atque certissimas notas palam prodiderunt CLEMENTIS XI. *Pontificis Maximi verba illa, quibus ad Purpuratorum Patrum Senatum, & Regis de Religione optimè meriti laudes, & suam, ejus cognito interitu, summam ægritudinem luculenter expressit. Nihil autem ad tanti mœroris testificationem accommodatiùs excogitare potuit, quàm ut, indictis ad Vaticanum extincto Regi Sacris Funebribus, de ejusdem*

dem virtutibus ſplendidiſſimam Orationem habere juſſerit D. Annibalem Abbatem Albanum, Fratris ſui Filium natu maximum, Adoleſcentem lectiſſimum, & ad omnem veram laudem, per ſummi Patrui veſtigia, ſtrenuè naviterque enitentem.

Laudatiſſimis Optimi Pontificis exemplis inſiſtens, iiſque, præter inſitum ſibi generoſæ Pietatis ſtudium, incitatus Eminentiſſimus Princeps Carolus Cardinalis Barberinus, aliquod etiam erga eundem Regem publicè extare voluit ſtudioſiſſimæ voluntatis ſuę teſtimonium, quod illuſtria Regis in Romanam Fidem promerita ſibi vindicarent. Præſertim cum non pauca accederent nomina veterum officiorum, quibus idem Eminentiſſimus Cardinalis ſe Regiæ Familiæ vehementer obſtrictum, Anglici verò Regni veræ ſolidæque felicitatis magnopere ſtudioſum profiteretur. Ut enim præteream, Maſſæum Barberinum, cum apud Regem Chriſtianiſſimum Pontificium Oratorem ageret, confirmandæ promovendæque in Anglia rei Catholicę ſtrenuam, nec unquam intermiſſam operam impendiſſe; atque ipſi in primis Jacobo I. Regi Catholicæ Religioni reſtituendo, ſolertis ingenii neceſſarium familiaremque ſuum Londini detinuiſſe, cujus literis de Regis voluntate,

conſi-

consiliis omnibus, ac vitæ ratione in dies ferme cognosceret: ut omittam, ab eodem humaniter susceptum, solicitè porro impigrèque præstitum Catholicorum patrocinium, ac potissimùm interpositis Christianissimi Regis officiis, contendisse, ne per extrema miseriarum vitam in Anglia agitarent, qui per summam injuriam insimulabantur pulverariç illius conjurationis, tot mendacissimis Hæreticorum scriptis, ac tragicis pene declamationibus toties inculcatæ, nihil certè ad tanti Viri, ac non ita multò post supremum Ecclesiæ regimen adituri, memoriam consecrandam illustrius, quàm quòd Paulus V. Pontifex Maximus Maffæum ob res Angliç, Regnique securitatem summo Religionis ardore in Gallia procuratam, non modò inter Proceres Purpuratos retulerit, sed Scotiæ Protectoris titulo auxerit, quo pridem Eminentissimus Cardinalis Scipio Burghesius, ejusdem Pontificis Fratris Filius, honestabatur. Ille verò mirificam quandam inclytæ Nationis fovendæ voluntatem ubique præsetulit, maximèque erga Collegia Scoticæ Juventutis, ex quibus, Catholicis tutandis partibus, subsidiariæ acies, pietatis ac literarum prævalidis munimentis instructæ, subinde in patriam remigrarent. Verùm ubi, Urbani VIII. nomine ad

summi Pontificatus fastigium est evectus, ut magnæ Britanniæ Regna ad pristinam Religionem & gloriam revocaret, postulatas à Carolo Valliæ Principe cum Maria Philippi IV. Hispaniarum Regis Filia nuptias benignè probavit: quæ cum, abrupta tractatione, non coalescerent, Pontificiæ authoritatis beneficio eidem indulsit, ut Mariam Henricam, Christianissimi Regis Sororem, uxorem acciperet; id unicè spectans, & confidens omnino fore, ut ille nexus sublevandis Catholicorum animis, Hæreticisque ad sanam mentem reducendis momenti esset plurimum habiturus. Et Carolus quidem magnæ Britanniæ Regnum adeptus, literis ad Urbanum Pontificem datis, eidem minimè infestum in Catholicos & Romana sacra animum est pollicitus: quam Regis voluntatem Urbanus peramanter accepit; utque ad majorum suorum exempla Fidemque respiceret, paterno Regem studio benevolentiaque, Apostolicis litteris commonuit. Pontificium amorem illum pro viribus opitulandi nobilissimis Regnis, obnixo animo exceperunt Eminentissimi S. R. E. Cardinales Franciscus, & Antonius Barberini: quorum cum alter Angliæ & Scotiæ, alter Hiberniæ Protectoris titulo esset insignitus, amplissimum uterque munus summa cum laude,

pa-

parique emolumento fructuque gessit. His atque talibus permotus Eminentissimus Princeps Carolus Cardinalis Barberinus, eam de vera Angliæ Religione benemerendi provinciam sibi à Majoribus suis veluti per manus traditam non modò tueri, sed pro virili parte proferre, æquum sanctumque duxit. Et quoniam Jacobi II. eximiis virtutibus, & singulari illa, præ Romanæ cultu Religionis, despicientia mortalium titulorum mirum in modum capiebatur, ubi primùm eundem Regem mortalitatem explevisse percepit, nihil antiquius habuit, quàm ut summa alacritate adjiceret animum, celebritati, quantam maximè posset, conciliandæ tam insigni Romanæ Fidei Defensori. Constituit proinde die vigesima octava Januarii Jacobo II. Magnæ Britanniæ Regi Justa persolvere in Templo, quod in Ordinis Cardinalitii Titulum præfert, S. Laurentii in Lucina dicto.

Insignis Urbis Architectus Sebastianus Cyprianus Operi eximia cum laude præfuit. Ea certè fuit elegantia, splendor, majestas ornatus universi, ut in unam expressamque vocem omnium suffragia conspiraverint, palam profitentium, quod attinet ad exhibita maximis Principibus Sacra emortualia, nihil ab ipsis magnificentius Romæ visum. Tametsi verò ipso

Exequiarum die incredibilis quædam frequentia, ex præcipuo Romanæ Nobilitatis flore collecta, Templum confertissimè occupaverit, tamen, ne avida assiduè confluentium pietas laudabili studio fraudaretur, necesse habitum est, ad decem dies ornatum omnem intactum relinquere. Quod ipsum producti temporis spatium nihil obstitit, quò minùs effusissima multitudo ad sacram illam Ædem continenter atque certatim accederet, nullumque sibi modum statueret regiæ molis amplitudinem demirandi, & meritis laudibus efferendi summam Eminentissimi Principis magnificentiam cum summa pietate certantem. Verùm maximam Operi celebritatem, & longè clarissimum decus conciliavit Clemens XI. Pontifex Maximus, qui Honorarium Tumulum, & singula fermè ejusdem ornamenta præsentiâ suâ nobilitare dignatus est; verbisque benignissimis largiter comprobavit Religionis studium, quo Eminentissimus Cardinalis ad ita excolendam Religiosissimi Regis memoriam exarserat. Hæc autem idcirco à me dicta velim accipiant ii, in quorum manus Narratio hæc nostra pervenerit, ut planè intelligant, conspicua illa pompæ funebris lumina, in hac descriptione, multis partibus facilè mutila, certè rudi & emortua, jacere penitùs

atque

atque vileſcere. Quid ni verò? cum etiam peritiſſimi Artifices, qui colorum pigmentis dimicantes exercitus, aut maris tempeſtates mentiuntur, quantavis ſucceſſus felicitate potiantur, adhuc probè pernoſcant, aliud demum eſſe mutas ſegneſque tabulas, aliud veros aut pugnarum tumultus, aut fremitus procellarum.

Templi facies, pulla veſte conteƈta, laciniis inter Porticus Columnas molliter decidentibus, prægrande monſtrabat Inſigne Regium, luteis coloribus ſubobſcurè illuminatum. Excipiebant Teſſeram Effigies geminæ: Spem altera, altera Fortitudinem referebat; quarum baſibus alatæ radiabant Calvariæ. Latera verò ipſa Trophæa quatuor militaria, totidem ferme diſtinƈta Pyris flagrantibus, tuebantur.

Porticum undique atratam quatuor ornabant perampla Numiſmata, totidem Regis eximias dotes affabre coloratas referentia, Tolerantiam, Potentiam, Conſilium, & ſacrum divinæ Majeſtatis Timorem: pendebant autem, tæniis ſcitè excurrentibus, inter mortis calvas utrinque ſublatas.

Templum ingredientibus continuò conſpiciendam ſeſe exhibebat moles regia Cenotaphii, ad lacunar uſque Templi perduƈta, quod auro piƈturâque diſcriminatum mirè novo orna-

tui congruebat. In media ejusdem area quatuor à singulis angulis procurrebant in sublime Columnæ, ad Corinthiæ normam Architecturæ, tortuosis flexibus in spiram convolutæ. Columnarum bases è luteo erant marmore colorato, calculosis maculis intermisto. Ab earum facie, coronidis inauratæ fulcris sustentata, extabant quatuor Mortis simulacra, quæ integra corporis mole, aureisque vestium involucris expressa, coronâ itidem aureâ præcinctam frontem, & argenteum sceptrum efferebant. Altera verò manu Numismata ostendebant, quatuor magnę Britanniæ Regna eleganter adumbrantia. Basium facies, Spartano ementito marmore, Regis Insignia excipiebant, inter flexus decursusque frondium cupressinarum, ramosque laureos oleasque multis męandris implexas, & mutuis nexibus interceptas.

Tractus verò integer Columnarum ab infimo ad superiorem scapum contortis voluminibus perpetuò striatus excurrebat, ramusculis per certa intervalla oleaginis, cupressinis, laureisque concinnè discriminatis. Nec à dispari Emblemate Zophori, Epystilia, & Capitella, ex opere anaglyptico, ornatum recipiebant. Nam auro contecta omnia ludicros ramorum encarpos, turbinato sinu, à prominentibus latuscu-

lis

lis effundebant. Postremo in ipsis Columnarum fastigiis quatuor emicabant Trophæa bellica, quæ auro argentoque illuminata, expansis vexillis, ferratis clavis, frameis, omnigenisque promiscuè complicatis armis, splendidum quendam metum incutere videbantur.

Editissimum spatium inter medias Columnas relictum implebat ingens amplissimæ Coronæ textum, quod fictitiis unionibus gemmisque confectum & saturatum, in morem regalis umbellæ tumulum tegebat; in cujus extremo apice præfulgens pila, & inauratum desuper augustissimæ Crucis Insigne minimùm à lacunato Templi tecto distabat.

Ad tumulum infra defixum, eundemque undique avulsum dilucidèque perspicuum, per oppositos in gyrum gradus, patebat aditus. Ac primùm stilobata orbiculatus, lutei marmoris maculosas venas assimilans, directis adversus Columnas projecturis, quatuor Genios spectandos objiciebat, mœrore dejecto vultu, & extinctas faces manu gestantes.. Ipsæ verò stilobatæ facies Trophæis, sertisque mœstarum frondium renitebant. Altera erumpebat inde basis quadrata, sensim in processu deficiens, quatuor à totidem angulis efferens argentea Mortis simulacra, integræ eminentiæ, coronis porro

aureis redimita, & auratas alas explicantia. ſummis verò capitibus Urnas aureas lacrimatorias ſuſtentabant. Obibat latera quadrigeminum Cornucopiæ, unde egreſſæ aureoque haſtili diſpoſitæ funales faces, inter totidem Pyras præaltis è ſolido argento urnis injectas, ardebant.

Elatioris hujus Pegmatis facies, quatuor delineata ſymbola, Regis Virtutes indicantia, complectebatur.

Primum. Veritas dexterâ Solem attollens, levâ blandiens Monoceroti, cum Lemmate. LEX VERITATIS FUIT IN ORE EJUS, ET INIQUITAS NON EST INVENTA IN LABIIS EJUS.

Alterum. Serpens adductâ in os caudâ, circulum efficiens, coronato Sole intus recepto, ſparſiſque foris ſtellis, cum Lemmate. FATO PRUDENTIA MAJOR.

Tertium. Leo coronatus enatas herbas proterens, cum Lemmate. VIRESCIT VULNERE VIRTUS.

Quartum. Laurus inter excuſſas & ſerpentes circum ſagittas, cum Lemmate. VIRTUS UBIQUE TUTA.

Poſtrema Tumuli ſolea metallo expreſſa, Leopardos quatuor auratos anaglyphicè exciſos,

Ur-

Urnæ ſepulchrali amplectendæ extollendæque admovebat. Urnam verò ad Lydii ſimilitudinem marmoris expolitam, ac mutulis illuſtri cælatura exornatis elatam atque ſuſpenſam, Simulacrum obumbrabat, ad integram eminentiam, exculptæ Mortis coronatę, & ſtrato corpore decumbentis. Et illa quidem alterâ manu regale ſceptrum, alterâ ſcriptoriam Tæniam eleganti flexu diſſectam gerebat, hac exaratam Epigraphe. JACOBUS II. ANGLIÆ, SCOTIÆ, HIBERNIÆ REX, FIDEI DEFENSOR. *Hinc oblongum Numiſma aureum, undique abſciſſum præciſumque, pendebat, dimidio anaglypho, ex vero expreſſam Regis effigiem utrinque referens, præcinctumque venuſtiſſimo encarpo, laureos ramos argento ſimulante. Majeſtatem ſpirans Religionis ſtatua ad Cælum Numiſma, regios vultus inſculptum, ſublevabat; debitamque Heroi ſummo immortalitatem ſpondere videbantur, hinc Hiſtoria, hinc Fama, ſimulacris elegantiſſimis adumbrata.*

Eccleſiæ apſidam veſtis violacea, & quæ Arę maximæ propiora erant, villoſum holoſericum ejuſdem coloris velaverat. Exteriorem verò apſidæ frontem tergeminę obduxerant tabulæ, non uſitatæ magnitudinis, miræque concin-

cinnitatis; quibus explicata vexilla, trophæa, cristatæque caſſides alludebant.

Prima Regis natalitium diem repræſentabat; exerebatque ſeſe Civitas Londinenſis; atque ipſum expreſſius Vvhitheallium, Jacobi Regis natale Caſtrum, conſpiciendum offerebat exorientem Solem ab alato Genio coronatum, cum Lemmate. EMERGIT NITIDISSIMUS.

Altera Occidentem proferebat Solem, cum Lemmate: MERGITUR, ET FULGET; *aderatque Lutetia Pariſiorum, & S. Germani Caſtrum, hoſpitio Regis, & morte clariſſimum.*

Tertia Solem monſtrabat, nitidiſſimo meridie, mediâ Zodiaci Zonâ effulgentem, cum Lemmate. PERGENS FERVET, ET CLARESCIT SUB MERIDIE SPLENDIDISSIMO. *Inferiori Tabulæ parte Hadriana Moles, Baſilica Vaticana, Forum Columnatum, Ædeſque Romani Pontificis magnificentiſſimę ſpectabantur.*

Cæterùm pullus ubique decidens amictus, receptis, per diſcreta ſpatia, in nodum laciniis, & picturatis ſubinde Emblematum Tabulis variatus, Templi latera contegebat. Summum continenter procurrentis Coronæ ſpatium cande-

delabra subobscurè delineata fulciebat, quæ funales Cereos quadrilibres in gyrum flagrantes regebant. Omnia verò latè diffuso splendore complebant decem, ad lateritias Templi pilas, à solo ad Coronam productæ hastæ præaltæ, opulentissimâ cereorum copiâ undique coronatæ. Eas pulcherrima specie, multa auri vi & egregiis cælaturis incisæ bases sustinebant; superinducta singulis, integræ eminentiæ, Mortis statuâ, variisque permistarum frondium lusibus, atque mæandris, & inauratis nexibus Coronarum.

Tabulæ atrata Templi latera discriminantes omninò quatuordecim numerabantur. Quarum sex magnæ Britanniæ Stemmata suis coloribus, & Symbolis ad verum expressa; octo reliquæ Emblemata ostendebant, Regias Virtutes aptissima varietate indicantia.

Primum Emblema. Fidei effigies pectore radiantem Solem, dexterâ sanctissimam Crucis Tesseram gerens, cum Lemmate. IN FIDE SVA PROBATUS EST, ET COGNITUS EST IN VERBIS EJUS FIDELIS.

Alterum. Ex Olea arefacta viridis enascens surculus, ad propitii Solis aspectum, cum Lemmate. RENOVABITUR.

Tertium. Ad Noemi Aream undis jactatam

Co-

Columba advolans, ore virentem Olivæ ramum adſtringens, cum Lemmate. SPERNIT IMPAVIDA FLUCTUS.

Quartum. Annoſa Quercus, inter adverſos ventorum ingruentium impulſus, cum Lemmate. INCONCUSSA MANET.

Quintum, quod primo Emblemati in arcu Apſidis erat adverſum. Effigies Zeli Gloriæ divinæ, bipenni appoſita, & prefulgenti lychno, cum Lemmate. ZELANDO ZELUM DEI ACCEPIT TESTAMENTUM ÆTERNUM.

Sextum. Monoceros, Tameſinis aquis cornu immergens, cum Lemmate. VENENA PELLO.

Septimum. Exerta Leonis manus evaginatum gladium capulo adſtringens, cum Lemmate Græco. ΑΠΛΑΝΟΣ.

Octavum, depreſſo Palmæ ramo inſertum Pſalterium, cum Lemmate. INCLINATA RESURGIT.

In Interioris Januæ Fronte prefixum erat ingens ſanè, & omniū luculentiſſimum Numiſma, trophæis, galeis criſtatis, pennatis jaculis, multoque illito auro ſpectabile. Solem emiſſis radiis nubes fugantem cum Epigraphe, SUA LUMINA SERVAT, *& procelloſi maris flu-*

fluctus ad scopulum allisos expromebat, addito aureis characteribus Lemmate. PERSTAT IMMOTUS. *Defluebat inde amplissimæ spatium Tabulæ Regis Elogio inscriptæ: quo clarissima Regis gesta & laudes graviter, ornatèque perstringebantur. Tabulam hinc inde complectebantur & efferebant Effigies geminæ; quarum altera Constantiam, altera Æternitatem ad vivum reddebat. Elogium autem, quod supra memoravi, est hujusmodi.*

IACOBO II. MAGNÆ BRITANNIÆ REGI

IVRE SVO ROMA PARENTAT; QVÆ ENIM EST TOTO TERRARVM AMBITV COLVMNA, ET FIRMAMENTVM CATHOLICÆ VERITATIS, ÆQVISSIMVM PLANE' EST, VT INVICTVM ILLIVS DEFENSOREM, CONSTANTEMQVE CVLTOREM, NON TAM HOMINIBVS EREPTVM LACRYMIS ATQVE SVSPIRIIS PROSEQVATVR, QVAM CÆLITIBVS SOCIATVM, ET BEATA SORTE ÆTERNA EORVNDEM FELICITATE POTITVM LÆTISSIMA GRATVLATIONE CONSECTETVR. HOC EXIGVNT PRÆCELSÆ TANTI

ÆVO

ÆVO NOSTRO HEROIS OMNIGENÆ VIRTVTES,QVIBVS CVM SEIPSO VNIVERSAM ORTHODOXAM ECCLESIAM ILLVSTRAVIT, DVM SVI GLORIOSISSIMVS DOMITOR SEMPER IMPAVIDVS, SEMPERQVE IMPERTERRITVS, BELLICIS TERRA MARIQVE VICTORIIS CLARVS, CLARIOR TAMEN ELVXIT VICTORIA SVI, QVA HVMANIS CONTEMPTIS TERRENA DIADEMATA POSTHABVIT CÆLESTIBVS, SICQVE SEIPSVM EVICIT INCLYTVM SÆCVLORVM TRIVMPHATOREM. HOC TOTAM ERVDIENS ECCLESIAM DOCVIT, PRÆCEPITQVE PRÆSTANDVM SVO DIVINÆ SAPIENTIÆ ORACVLO SVMMVS ATQVE SANCTISSIMVS SACRORVM ANTISTES CHRISTI IN TERRIS VICARIVS PONT. OPT. MAX.

CLEMENS XI.

QVI ILLVM, QVEM ADHVC INTER APOSTOLICÆ SEDIS LVMINA CONSTITVTVS OFFICIIS OMNIBVS SVSPEXIT DEMERVITQVE, MOX AMAN-


TIS-

TISSIMI PATRIS SENSV VTI FILIVM CHARISSIMVM COMPLEXVS EST, EVNDEM NVNC, QVAM IN DEO REPOSITAM SPEM HABEBAT IAM ASSECVTVM, PIIS VOTIS PROSEQVENDVM ESSE VERITATIS PRÆCO ENVNCIAVIT: HVNC IGITVR, QVEM CHRISTIANA RELIGIO STRENVVM PROPVGNATOREM HABVIT IN TERRIS, AVXILIATOREM HAVD IMMEMOREM IMMARCESCIBILI REDIMITVM CORONA REGNANTEM EXPERIETVR IN CÆLIS.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Philippo Michaeli Ellis Episcopo Aureanapolensi rem divinam peragenti, inter præstantes Musicæ concentus, interfuerunt S. R. E. Cardinales, quot fermè Romæ aderant, cum corona Illustrissimorum Præsulum frequentissima, Romanęque Nobilitatis. De Regis laudibus Orationem habuit Carolus de Aquino Societatis Jesu: quâ absolutâ Illustrissimi, & Reverendissimi Præsules Joannes Monrealis Archiepiscopus Rheginensis, Ulysses Joseph Gozzadinus Archiepiscopus Theodosiæ, Antonius Felix Zondodarius Archiepiscopus Damascenus, & Jo-

Joseph Vallemanus Archiepiscopus Atheniensis, Ecclesiæ ritu, Absolutiones ad Cenotaphium persolverunt.

Tabularum atque Numismatum, quę superiùs exposuimus, Icones chalcographicas videre, Lector, poteris in prima hujus Orationis & appositæ Descriptionis editione; quæ peramplis formis separatim prodiit Romæ Typis Barberinis MDCCII.



ORA-



ORATIO IV.

IN FUNERE

JOANNIS III.

POLONIÆ REGIS

MAGNI LITUANIÆ DUCIS,

Habita in Sacello Pontificio Quirinali

AD

INNOCENTIUM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM.



Excellentiſſimis, atque Inclytis SENATORIBUS Sereniſſimæ Polonæ Reipublicæ, Magnique Ducatus Lituaniæ, eorumque ſupremo Præſidi Eminentiſs. ac Reverendiſs. Domino D. MICHAELI S. R. E. Presb. Card. RADZIEOUSKI Archiepiſcopo Gnesnenſi, Primati, & Primo Principi

Carolus de Aquino Societatis JESU Felicitatem.



Vlta me, Eminentiſſime PRINCEPS, Excellentiſſimi atque Inclyti SENA-

NATORES, deterrere potuissent, quominus, tam alieno præsertim tempore, Vobis obstreperem, quos, nunquam animo minùs vacuo, gravissimis curarum oneribus distringi, & rem, unam omnium mortalium operum difficillimam, moliri probè essem conscius. Verùm duo potissimum in causa fuerunt, quamobrem Vos, incolumi pudore, adire non extimescerem. Primum, ipsum Orationis, quæ Vestro Nomini inscribitur, argumentum. Etenim Virtutum, quoquot Regium fastigium insignire possunt, exemplar absolutissimum Vobis proponimus, JOANNEM Tertium, cujus immortalia facinora ita amplectentur ætates omnes, ut nullum sibi finem in eorum prædicatione constituant.

Nam si Cyri Regis Persarum gesta, à disertissimo Græcorum Scriptore literis tradita; ad præclaram aliorum Regum institutionem mirificè profecerunt; quidni ad excelsam, quam animis consiliisque struitis, tam præclari Operis exædificationem nonnihil conferat qualiscumque hæc demum, & obscuris, ut planè sentio, coloribus adumbrata effigies Regis, qui claritudine rerum gestarum, non cum Cyro solùm, sed cum omni audeat antiquitate contendere? Alterum est, ne ad dignitatis locique Vestri splendorem istum, sine parario affectarem viam, primos mihi ad Vos aditus patefecisse Eminentissimum Principem, CAROLVM Cardinalem Barberinum, Polonici Regni Protecto-

rem amplissimum: de cujus prolixa & effusa in Vos voluntate, quid attinet prædicare, tot tamque luculentis passim exemplis testatissima? Ejus certè singulare de Vestra virtute judicium, & in JOANNEM Tertium, cui florentissimi Regni Patrocinium gratissimo animo refert acceptum, erecta studia efficiunt, ut nullo genere officiorum impensiùs capiatur, quàm quibus, Vestris laudibus faveat, Nomini vestro celebritatem conciliet, omnique, ut ajunt, pede in Inclyta Natione honestanda consistat. Is abundantia quadam humanitatis mecum egit, ut de Regis longè clarissimi laudibus verba facerem, ad INNOCENTIUM XII. Pontificem Maximum, cum universo

Ca-

Cætu Patrum Purpuratorum, Eidem Justa Funebria persolventem. Qua designatione Princeps limatissimi cæteroqui judicii, magis rationem habuit, quemadmodum humanitati suæ indulgeret, quàm ut pudori meo parceret. Geminis hisce munimentis insistens non est, ut crimen audaciæ deprecer, dum à Nomine Patrocinioque Vestro, orationi meæ splendorem, atque præsidium accerso; etiam dum Regni, Patriæque clavo assidentes ejusdem securitati gloriæque consilia omnia, cœpta, cogitata Vestra devovetis. Quæ profectò, (quæ Vestra Sapientia est) ad Regni diuturnam felicitatem, ad uberrimam segetem gloriæ Vestræ, non modò supra spem, verùm etiam supra vota provenient.

 ORA-



ORATIO.

QUOD afflictis Europæ rebus ab interitu vindicandis præsidii fuerat penè reliquum, BEATISSIME PATER, quod in supremo armorum Duce, quod in sapientissimo Rege instituendo, Veteres adumbratum literis reliquerunt, è medio sustulit Joanni Tertii Poloniæ Regis interitus, Christianæ Reipublicæ peracerbus. Quidni etenim ejus casus omnia secum fermè traheret, cujus beneficio factum est, ne omnia aliquando ad exitium traherentur? Me verò super hæc, rerum copia, loci majestas, & circumscripti laudationi fines ità perturbant, ut vehementer timeam, ne, dum exaggeratæ virtutis simulacrum in arctissimum modulum contraho, non tam inelegantem typum facultatis tenuitate, quàm magna ex parte mutilatum

tum inopiâ temporis, videar posuisse.

Polonici Principatus natura, eximii Ducis, & Regis optimi prærogativas indiscretas habet atque promiscuas. Gens ad labores impigra, & læta bello, laudes suas amat in Rege: vulgato jam more Populorum, ut, quibus ipsi virtutibus potiores sunt, iisdem Principem æstiment. Quod autem tibi, Joannes, splendidius ad Principatum Tyrocinium esse potuit, recepto Chocinio, asserta Podolia, validissimo Cosaccorum atque Turcarum exercitu exuto castris, occidione deleto? Eo siquidem ipso die, quo Michael Rex mortalitatem explevit, Turcicum bellum in cervicibus erat. Morbus Regem, hostes in Chociniensi arce Regnum obsidebant. Polonia minimè nescia, se, illo extincto, viduam, hoc victore, nullam futuram, Tuam, Joannes, dexteram fidemque respexit; ne, qui supremus Regi aderat dies, novissimus affulgeret & Regno. Vicisti Patriæ vota: ita confirmasti de Regno solicitam, ut nec Regis orbitatem illa sentiret: frustra jam Comitiis in Rege deligendo cunctantibus, quem suo suffragio Victoria coronaverat. His auspiciis Regnum ingressus, deformatam seditionibus Polonię faciem, ac prope Poloniam Poloniæ restituit.

Di-

Dicerem novas ad Tyram & Boryſthenem excitatas munitiones, auctam præſidiis utramque Volhyniam, Scytharum populationes coercitas, crebris incurſationibus Chamenecium obnoxium habitum, niſi in expeditionem illam Germaniæ, Europæ, Religioni longè feliciſſimam, erectos animos cernerem, & dicentem ad ſe non tam alliceret Vienna, quàm raperet. Juvat autem memoriâ repetere, calamitoſi illius temporis faciem, cum ingens nos trepidatio inceſſeret, ne per Illyricum & Carnicas Alpes, turbo ille Otomannici belli ſe in Italiam effunderet: cum non deeſſent, qui trepidantibus animis paveſcerent Muſtaphum, ſęviorem Annibalem ad portas minantem, incenſa ædificia, exciſa Templa, Hoc ipſum .... ſed horret animus in auguſtiſsimum Religionis Domicilium, etiam commentitios metus inferre. Quamvis dum hic larvatis terriculis agimus atque fictitiis, veros timores de Germaniæ fronte diſcutit Joannes, minaci equo præfulgens, explicata fronte, decora facie, Regno poſthabito aulâque deſertâ ſplendidior, non laborem ullum, non vitam, non ſanguinem, ante publica commoda poſiturus. Quid hìc dicam collatis ſignis cæſas Barbarorum acies; quæ, tanquam ſiniſtro

ſtro ſidere afflatæ, ne primos quidem velitationum impetus ſuſtinuerunt? Quid referam turbatos ordines, ab Equitatu graviter incumbente pulſos atque protritos, quibus ſubito terrore lymphatis, fœda fuga decorâ morte potior fuit? Profectò ille tantarum virium Polonorum exercitus, in Sarmatiam ſuam, ipsâ nullo ſatis pręclaro laborum pretio parabili gloriâ, expoſitâque, rediiſſet inglorius, niſi haud ita multò poſt, Turcarum edita ad Barchanum clades, adhuc expertes ſanguinis gladios imbuiſſet. Peregit Viennenſis Victoria, ut, ſervato Imperii Palladio Germania explicaret frontem, quam longus timor arctaverat; Barchanenſis præſtitit, ut, quæ timere deſierat, timeretur: illa inclinatas res à caſu ſuſtinuit; hæc ſecuritati in poſterum, latiùſque proferendis Imperii finibus Religioniſque, proſpexit. Nego etenim in Hungaria, in Dacia, in Peloponneſo, in Dalmatia, ullam poſtea expugnatam arcem; nego, victoriam ullam de hoſtibus reportatam, in cujus gloriæ ſocietatem, Polonici Regis expeditio illa non venerit. Cujus partem aliquam is mihi demum aſſequutus animo videatur, qui æſtimaverit, decus illud non aliorum modò, ſed ipſius Joannis facinora, quæ conſequentes

tes annos mirificè illustrarunt, speciosa quadam inducta caligine, inumbrasse. Nam exquisitos Militum delectus sustentando Foederi imperatos, trajecto sæpius Tyra inundatam Moldaviam, occupatum Jassium incensumque, Regni fines quâ communitos arcibus, quâ latiùs propagatos, Chamenecium ipsum pavitare semper jussum, si semel vinci non meruit, quæ decora, fidem hominum Superumque! sed quoniam Vienna fulgore suo perstrinxerat oculos, hæc tàm excelsa tamque præclara, quædam Polonici Martis otia atque cessationem interpretamur. Verùm meritissimis in Joannem Regem congestis præconiis, lusisse me operam planè sentio: dum laudem omnem decorum pulcherrimorum, in longè alium authorem Joannes ipse transcribit, datis post Viennensem Victoriam ad Innocentium XI. Pontificem Max. in hanc sententiam literis. *Veni, Vidi, & Deus Vicit*. O gloriæ abdicationem, gloriæ multò maximè quæstuosam! Virtute, gestis, felicitate æquasti Cæsarem, Rex invictissime; tam luculento moderatissimi animi testimonio, de ipsius superbia triumphasti. Et quidem rerum divinarum studiosissimum Regem nihil non piè, nihil cum Religione non cogitasse conjunctum, testes sunt,

ex-

excitandæ Fidelium pietati, Patrum Capuccinorum ex Italia, Velatarum Virginum ex Familia Divi Benedicti, evocata primùm ex Gallia in Poloniam Sodalitia: teſtis ille ipſe Viennenſis triumphi nulla temporum viciſſitudine obliterandus dies, cum primo diluculo cæleſtem Hoſtiam immolanti de genu miniſtraret, ſocio præſtantiſſimæ indolis Filio, non tam in laborum gloriæq; partem, quàm in paternæ pietatis æmulationem vocato. Teſtes ſecretiores aditus in Regiis caſtris, ubi ſubtractum bellicis curis animum ſupremo Numini repræſentabat. Teſtis demum Militare Vexillum, ab arce Barchanenſi direptum, & ad Ædem Virginis Lauretanę tranſmiſſum. Nam Regium alterum, quod inter Prætoriani tentorii ſpolia, ſua Rex ipſe manu detraxerat, tunc enimvero altiſſimo in loco, maximèque Terrarum Orbi conſpicuo erectum jure cenſuit, cum ad Innocentii XI. pedes devolveretur. Pontificiæ ſiquidem Dignitati, & Apoſtolicæ Sedi quàm impensè fuerit ſingularis obſequii ſtudio mancipatus, exploratiſſimum fecit, cum ſplendidiſſima Radzivilii Ducis Legatio, ab ipſo Principatus exordio ad eundem Pontificem obita, tùm dies ille Religioni fauſtiſſimus, cum, eodem Sequeſtre,

coacto

coacto Purpuratorum Patrum Conventu, ex eodem Ordine lectissimi Proceres, in leges Hungarici Fœderis Sacramentum dixerunt. Quò plus obtinent commendationis & laudis hęc mœstitiæ imitamenta, & pompa emortualis, quâ suprema officia peraguntur non tam acerrimo Romanæ Sedis propugnatori, quam obsequentissimo Filio, Joanni Tertio Poloniæ Regi; quem ætates consequuturæ ultrò fateantur gloriæ quidem suæ satis superque, felicitati publicæ plurimùm, bonorum omnium desiderio minimùm sanè vixisse.



ORATIO V.

IN FUNERE

JOANNIS III.

POLONIÆ REGIS

Habita à nobili Adolescente Polono in Inclytæ Nationis Polonæ Templo S. Stanislai, inter Sacra exequialia, eidem celebrata

Ab Eminentiss. & Reverendiss. Principe

CAROLO

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

CARDINALI BARBERINO.



I dolori publico, Eminentissimi Principes, tantum lacrimarum liceret impendere in Funere Joannis Tertii Poloniæ Regis, quanta illius in Europam universam, & Orthodoxam Religionem fuere promerita, non ad exigui

exigui ostentationem temporis squalor iste exequialis mutos parietes tegeret, contuentium oculos contristaret, sed in futuras ætates, ut Regis Optimi beneficia, ita jacturę acerbissimę significatio luctusque transmitteretur. Iniquissimum enim esset, in ejus Principis amissione lacrimas exarescere, cujus virtute atque felicitate Polonia, Germania, Europa, Religio ab ęquissimo metu ad pristinum nitorem dignitatemque restituta refloruit. Succenserem ferme Naturę, quę non æterni doloris uberrimam venam indulserit, ubi immortalia esse voluit officia meritorum. Ego verò per tanti Principis laudes atque virtutes, brevi Orationis ambitu jussus excurrerę, non absurdè doloris ingenium videar imitatus, si funere luctuoso confectum animum ipso neglectu ac prope squalore incomptæ Orationis ostendero.

Excelsi animi magnitudo, & regia planè Joannis indoles, se inter ipsa pueritię crepundia exeruit. Vix enim cunas egressus, tam singularem morum maturitatem præsetulit, ita ad omnem verę laudis provocationem exarsit, ut ex firmiori ætate, & longiori rerum experientiâ, nihil illi potuisse videretur accedere. Crederes, aut pueritiam Joanni, aut Joannem

pue-

pueritiæ defuisse. Sub auspiciis Ducis Potocki, ad omnem posteritatem clarissimi, positis militiæ rudimentis, tam inusitato genere laudis inclaruit, ut, cum intestinę Regni discordię egregii Imperatoris necessitatem fecissent, nihil moræ fuerit, quin à Rege Casimiro supremus armorum Arbiter renunciaretur. Tam præclaro existimationis regię testimonio insignitus & auctus, quàm latè Polonici exercitus terrorem diffuderit, quantam ipse continuò fuerit celebritatem nominis consequutus, te, Polonia, testem appello; quam seditiosorum hominum tumultibus agitatam, laceratam odiis, perfidiâ collabentem, ita communivit, sustentavit, erexit, ut collatum in Joannem armorum Imperium Regni hostes contremiscerent, sibi nũquam satis Polonia gratularetur. Seditionum civilium motibus mirâ celeritate compressis atque sedatis, expeditiorem viam aperuit Polonicis armis, ut externi hostis conatus audaciamque retunderent. Nullo certè justiore metu Sarmatiæ res in discrimen adductas expavimus, quàm cum, obsesso Chocinio, innumeræ Turcarum acies ad Tyram amnem considerent; si semel validissimum illud Regni munimentum, virium omnium concertatione labefactatum corrueret,

actum de universa Polonia reputantes. Et actum quidem fuerat, nisi Joannes Equitatu florentissimo instructus, non tempori, non sibi, non Patriæ defuisset. Animo ac pene oculis obversatur mihi, ipso terrore gratissimus ille Polonorum impetus, cum hostium munimentis, quibus se se consepserant, castrisque perruptis, per dirutos aggeres, per vias cadaverum acervis obstructas, per conculcatas barbarorum cervices, ad asserendam oppugnatam arcem, ad solvendam à funestissimo metu Poloniam convolaret. Cum fortissimus Ductor.... Sed quid ego Ductorem appello, quem libertatis suæ gloriosissimum vindicem, Regem etiam suum Polonia, ultro collatis insignibus, salutavit? Cum inquam, Rex potentissimus, amorem suorum, timorem hostium, omnium admirationem, victorię suę dulcissimum pretium reportavit. Polonię rebus in hunc modum compositis, tantâque domi partâ gloriâ, non ille ad palmarum suarum atque laurorum umbram ignavum latus deposuit, nec otio Polonicus Annibal, desidiâve consenuit. Sed postquam Patriam armis latè victricibus in tuto locaverat, Germanię nutantes res, Europam in Viennę oppugnatione ancipiti timore suspensam, Religionem ad extre-

mum

mum penè discrimen adductam, victoriâ sublevavit post hominum memoriam clarissimâ, quęque non expectationem modò superavit, sed etiam vota populorum. Neque enim se, Regnique sui vires omnes in ancipitem casum conjicere dubitavit, postquam se Hungarico & Veneto Fœderi illigaverat. Certè de Romanę Sedis amplitudine & dignitate detractum fuisset fortasse plurimum, & Germanici Imperii vix umbram forsitan aliquam haberemus, nisi inextricabilem illum nodum, & plusquam Gordianos nexus Joannes Rex gladio suo explicasset. Castris latissimè positis atque communitis, Viennam, firmissimum Germaniæ propugnaculum, hostiles copiæ vallaverant. Jamque decussi murorum apices, & crebris tormentorum ictibus verberata mœnia aggressorum assultibus idoneum ruinâ spatium aperuerant ad irrumpendum. Nobilissimæ totius Europæ Civitates, Roma præsertim, de cujus maximè Imperio in illis Austriæ campis certabatur, sinistri eventus expectatione suspensa, nuncium expugnationis sibi fatalis in singulas fermè horas præstolabatur. Adfuit tandem citatissimo impetu raptus è Germania Cursor; sed qui.... O triumphum Religionis omnium longè pulcherrimum! O

laudem Joannis Regis nullâ unquam temporum futurorum oblivione delendam! Sed qui, inquam, non mœstissimo luctu principem Gentium Urbem, sed liquidissimâ voluptate compleret. Lætissimus nempe rumor continuò totâ Urbe percrebuit, Viennam in libertatem assertam, fugatos hostes, impedimenta omnia, commeatus, sarcinasque militares in potentissimi Regis potestatem venisse: animis eò jactantiùs in omnem hilaritatem effusis, quò propiùs desperationem res fuerat. Alii celeritatem victoriæ prædicabant; cum solus penè Regis aspectus copias hostium latè diffusas, veluti Sol densissimas nubes, disjecisset. Alii sociati cum Germano milite exercitus consilium extollebant; cum Turcæ nihil magis, quàm Lotharingiæ Ducis & Poloniæ Regis, tanquam fatalium sibi siderum conspirationem, pavescerent. Sed regia in primis pietas per omnium ora summis laudum decorata præconiis incedebat. Ad Cęlum passim efferebant generosissimam animi demissionem illã, cum, regio diademate ad Virginis Deiparæ pedes relicto, non tam Regem se, quàm militem ex gregariis unum, contra Romanæ Fidei hostes futurum in posterum profiteretur. Quid autem ad exemplum generosæ pietatis illustriùs

ſtriùs, quàm cum ad imminentem immortalis pugnæ conflictum, non alia velitatione præluderet, quàm Sacra facienti Miniſtro provolutus in genua, eidemque dexterâ illâ, ſceptro virgæque Imperatoriæ aſſuetâ, ſubſerviens? Sed nihil æquè omnium animos excitavit & extulit, quàm cùm ad Principis Apoſtolorum Baſilicæ valvas defixum ſuſpicerent militare vexillum, quod ex ipſo Muſtaphi Viſirii tabernaculo, Regiâ manu convulſum atque direptum, perpetuum eſſe voluit monumentum ſui ergà Sedem Apoſtolicam teſtatiſſimi ſemper obſequii. Verùm dum Romæ religioſiſsimi Regis prærogativę efferuntur, ille collatis iterum cum hoſte ad Barchanū ſignis, generoſâ irâ ſuccenſus, bellico pulvere ſpecioſiſsimè inhorreſcit. Turcarum exercitus ille ad Viennam propulſatus ſolùm atque disjectus, in agro Barchanenſi Polonorum ultioni gladiiſque planè ſuccubuit: fuga illa hoſtium, hæc clades fuit: ibi diſturbati Ordines, collectis iterum ſignis, inſtaurare bellum potuerunt, hìc acciſis Otomannæ potentiæ nervis, & procumbentè veteranæ Militię flore, ita de hoſtibus triumphatum eſt, ut vaſtiſſimum illud, totque evolutis ſęculis formidatum Imperium, veluti cadaver ſenio mor-

boque confectum, non solùm comminari atque insolescere non auderet, sed vix commovendi se ultra ostenderit, ac prope respirandi fiduciam. Nec porrò ea victoria luculentissimo pietatis testimonio caruit. Nam ex editiore vallo detractum vexillum alterum, Matri divinæ addictissimus Rex, ad ejusdem fanum, Lauretum transmittendum curavit. Quę Civitas nunquam appellatione sua dignior fuit, quàm cum tam singularis victoriæ monumento nituit laureata. His laudis perpetuæ titulis in Germania partis, condecoratum Regem suum quot inter pæanas, quantâque mox festivissimæ gratulationis pompâ Polonia exceperit reducem, nec satis complecti animus, nec verbis exæquare potest oratio. Ea certè fuit prægestientis ubique lætitiæ, & exilientium Ordinum admurmuratio, ut gaudia sua Polonia ipsa non caperet. Adderem hìc Tartarorum catervas iterum iterumque disjectas, Moldaviam sępius devastatam, direptos agros, expugnatas arces, Jassium ipsum, Provinciæ caput, flammis traditum; si qualiacumque demum victoriarum decora, inter Viennensis expeditionis splendorem illum nosci, nedum ostentari possent. Ea scilicet est Oceani vastitas, ut incrementa fluviorum minimè sentiat;
&

& quædam immenſæ opulentiæ laus eſt, ignorare opes ſuas. Sed mirum profectò, ac prodigio ſimile videatur, bellicis curis diſtentiſſimum Regem ita ab omnibus doctrinæ præſidiis inſtructum fuiſſe, ut niſi militari fortitudine præclariſſimam famam eſſet adeptus, ſolis literarum ſapientiæque dotibus meritiſſimam videri poſſet immortalitatem nominis conſequutus. Quàm illuſtris in Joannis ore verborum apparatus & dignitas! quàm ſolidâ ex adytis Sapientum doctrinâ elimatum ingenium! quanta dicendi copia ex intimo penu totius antiquitatis exprompta ad ſplendorem affluebat! Dubitares, utrum magis Bellonæ, an Muſarum Gratiarumque ſinu exceptus atque innutritus eſſe videretur. Verùm, o incerta Vota! O ſpes Mortalium fluxas, atque fallaces! qui per omnia fueras mortalem conditionem egreſſus, iniquiſſimo Reipublicæ tempore deſiiſti, glorioſiſſime Rex, eſſe mortalis. Ipſa te Heroem ſuum, adverſus Romanæ Fidei hoſtes propugnata, Religio amplexu fovet, exornat laudibus, corona nunquam interituræ lucis impertit. Tu verò è ſublimi, ut par eſt credere, beatiſſimæ regionis faſtigio illo Poloniam tuam, quam imperio, Europam, quam beneficiis Apoſtolicam Sedem, quam

obſequentiſſimo ſtudio feciſti tuam, tuearis atque confirmes, &, quo demum nihil Poloniæ tuæ eſſe poteſt optatius, à ſupremo Numine impensè contende, ut illi Rex tui ſimilis, & Virtutum tuarum cultor æmulatorque, contingat.





DESCRIPTIO EXEQUIALIS POMPÆ

IN TEMPLO

D. STANISLAI

INCLYTÆ NATIONIS POLONÆ

EXHIBITÆ IN FUNERE

JOANNIS III.

POLONIÆ REGIS

MAGNI LITHUANIÆ DUCIS,

Sub Auspiciis Eminentiss. & Reverendiss. Principis D.

D. CAROLI

CARDINALIS BARBERINI

POLONIÆ PROTECTORIS.



Quan-



Vantam, Joanne Tertio Poloniæ Rege è vivis erepto, doloris luctusque acerbitatem Roma perceperit, non aliunde magis licet conjicere, quàm ex tot tamque effusis publicæ gratulationis lætitiæque testimoniis, quibus immortales invictissimi Regis laudes, superioribus annis, in eâdem Civitate, mirâ omnium Ordinum alacritate plausuque personuerunt. Quicumque ad tot victoriarum faustissimos nuncios, illam animorum commotionem, illos turbæ etiam compitalitiæ festivos fremitus, & innumeris ubique virtutum prçconiis usurpatum Regium nomen in memoriam revocaverit, is demum deprehendere poterit atque colligere, quàm altè gravissimus recèns inflicti vulneris cruciatus in omnium corda descenderit; in quantum universam Urbem mœrorem dederit. Quamvis luctu prostrata Civitas dum Regis decora commemorandi extollendique nullum sibi finem constituit, occulto quodam jucundissimæ voluptatis sensu nunc etiam capitur; ut ostentare palàm possit Joannem Regem in ipso mœstitiç publicç gremio speciosiùs triumphantem.

Cæterùm ubi primùm supremum diem obiis-

se

ſe Joannem Regem in Polonia reſcitum eſt, Eminentiſſimus Princeps Michael Cardinalis Radzieouski, Archiepiſcopus Gneſnenſis & Primas, Supremuſque Senatus Polonici Prę-ſes, Joannem Caſimirum Bokum Canonicum Gneſnenſem & Cracovienſem, illuſtri genere & eximiâ virtute virum, Romam legavit, ut eo Internuncio, ſuis Senatuſque verbis, Innocentius XII. Pontifex Maximus de Regis morte cognoſceret. Ablegatus ſtatim atque Romam appulit, ab Eminentiſſimo Principe Carolo Cardinali Barberino, Polonię Protectore, ad Pontificios pedes, nobili ſplendidoque comitatu, deductus eſt. Apud quem depromptis literis, quibus publicę fidei authoritas inerat, ea addidit, quibus Pontifici Joannis Regis interitus, & Polonę Reipublicę in Romanam Sedem reverentia innoteſceret. Pontifex ſingulari humanitate exceptum habitumque, certiſſimum eſſe juſſit, nihil ſibi acerbius contingere potuiſſe, quàm, ut in eo pręſertim rerum articulo, tàm pręclarum Orbis Chriſtiani decus & fulcimentum deſideraretur. De inſitâ Polonorum animis in Romanam Sedem obſervantiâ, non eſſe, cur ullo unquam tempore poſſet ambigere. Ea uti Reipublicę ſuis verbis diſertè nunciaret, cunctationi locum ne faceret, ſimul pater-

no

no animo vellet commonitam, ut, dum de non absimili substituendo Rege deliberaret, tranquillitati publicæ, Regnique incolumitati servandę tuendæque prospiceret. Se hoc interim spatio nihil morę esse interpositurum, quin primo quoque tempore, Regi de Pontificia Dignitate & Apostolica Sede pręclarissimè merito, solennia Justa persolveret. Quibus Ablegato benè precatus, eundem novo spectabilique dignitatis titulo auctum dimisit, ut inter Præsules utriusque Signaturæ, ut vocant, Referendarios recenseretur: quò & muneris, quo ad Apostolicam Sedem esset defunctus, perpetuam commendationem haberet, & Sacris Exequialibus, in Pontificio Sacello proximè concelebrandis, honestiori loco interesse posset. Et ea quidem Sacra, cum Pontificis Maximi & Apostolici Senatus consessus augustissimus, tum lectissima exterorũ hominum frequentia nobilitavit. Eminentissimus Princeps, Carolus Cardinalis Barberinus, Polonię Protector, rem divinam solenni ritu fecit. De Regis laudibus P. Carolus de Aquino Societatis Jesu orationem habuit.

Sub hęc Eminentissimus idem Princeps Cardinalis Barberinus agitabat animo, quam potissimùm rationem iniret, ut in Templo Divi Stanislai Nationis Polonę, suo privatim nomine,

mine,

mine, significationem aliquam publicè consignaret suę in Regem demortuum, & Polonorum Rempublicam studiosissimę voluntatis. Multa & pręclara meditanti angustię loci obnitebantur. Quibus demum invitis, Funebris Pompa in eodem Templo splendidissimè exhibita, ita ad se omnium animos admirationemque convertit, ut in ipsa arctioris iniquitate loci ejusdem Pietas atque Magnificentia latissimè elucesceret. Accesserunt reliquo ornatui Inscriptiones pręfixę tabulis, Regia facinora coloribus adumbrantes, quas ingenii sui curęque partus esse voluit idem Eminentissimus Cardinalis. In Templi facie, pullo amictu contecta, extollebantur regia insignia, subobscuris coloribus illuminata, velorum laciniis ex utroque latere aptè defluentibus. Ejusdem coloris veste, sed candidis bombycinis interiectis, convestiti erant Templi parietes, quos larvatę Mortes, regii Stemmatis Tesserę, & bellica Symbola, argento auroque illita, certis intervallis per extantes pilas distincta, discriminabant. Pulla item Zona ex Templi Corona tractim continenterque decidens, mirum in modum elegantiam operis commendabat, candidis è carbaso flexibus identidē adoptatis, prægrandibusque cereis longo ordine collucentibus,

bus, & mira concinnitate dispositis. Fornix, quasi ipse etiam condocefactus esset ad luctum, atratum Cęlum, stellasque lugubres, tęniis ad earum figuram scitissimè turbinatis, mentiebatur. Ipsum verò Cenotaphium, quadrato pegmate ad Doricam Joniamque normam appositissimè excitatum, pręmagnis funalibus, candelabris è solido argento suffultis, & Regiis insignibus Symbolisque, opere picturato elegantissimè variatum, spirabat planè Regiam Majestatem. Urna Honoraria Attalico peripetasmate instrata effulgebat; in cujus fastigio pulvilli gemini è villoso holoserico violaceo, sustinebant regium diadema aureo sceptro gladioque in transversum jacentibus superimpositum. Molem universam siparium obibat violaceum, laciniis in nodum coactis, ad imaginem bellici tentorii conformatum. Sed pręcipuo ornamento erant Tabulę pręgrandes omnino sex, luteis coloribus subobscurè delineatę, formę operisque pręstantiâ singulari: quibus pręfixas Inscriptiones apponimus, earum argumenta exprimentes. Continent autem præcipua gesta, summamque illustrium operum belli domique, quæ Joanni Regi maximam, donec præstantissima virtus in pretio erit mortalibus, gloriam adstruxerunt.

In-

Inscriptio prĉfixa primĉ Tabulĉ, Regis effigiem, ardoris bellici Majestatisque plenissimam, referenti.

JUSTISSIME PARENTATUR
IN HOC INCLYTÆ POLONORUM
NATIONIS TEMPLO
JOANNI III. POLONIÆ REGI
MAGNO DUCI LITHUANIÆ
QUI
ANIMI PIETATE PECTORIS ROBORE
BELLICA FORTITUDINE
INSIGNIS
FIDEM ORTHODOXAM ECCLESIAM
CATHOLICAM
REM CHRISTIANAM UNIVERSAM
ACERRIMUS AC INVICTISSIMUS
DEFENSOR
STRENUE SEMPER
SUSTINUIT ASSERUIT CONFIRMAVIT.

Inscriptio præfixa secundĉ Tabulĉ.

SPONSAM LECTISSIMAM
NONNISI BENEDICENTE PONTIFICIO
NUNCIO
ANTONIO PIGNATELLIO
ARCHIEPISCOPO LARISSÆO
MATRIMONIO SIBI SOCIAVIT
QUANTA ESSET JAM TUM
AUCTIORQUE IN DIES FUTURA
VE-

VENERABUNDI FILII IN PARENTEM
MAXIMUM
AC AMANTISSIMI PATRIS
IN OBSEQUENTISSIMUM FILIUM
AMORIS VICISSITUDO
PRÆCLARUM TUM SPECIMEN TUM
DOCUMENTUM.

Inscriptio præfixa tertię Tabulę.

POLONAM REMPUBLICAM
PROPUGNAVIT
SCEPTRUM SIBI DEMERUIT
TURCA CUM COSACCO APUD
CHOCINUM
IN IPSIS CASTRIS
AD TYRAM AMNEM DEBELLATO.

Inscriptio præfixa quartę Tabulę.

RADZIVILIO DYNASTA AFFINE SUO
CELEBRI LEGATIONE
AD CHRISTI VICARIUM
SEDEMQUE APOSTOLICAM MISSO
SUÆ INTEMERATÆ FIDEI
AC FILIALIS OBEDIENTIÆ
LUCULENTISSIMUM TESTIMONIUM.

Inscriptio pręfixa quintę Tabulę.

CHRISTIANA REPUBLICA IN TUTO
POSITA

VIEN-

VIENNA GERMANICI IMPERII SEDE
OBSIDIONE LIBERATA
VISIRIO FUGATO
EJUSQUE EXERCITU AD BARKANUM
DELETO.

Inſcriptio prefixa ſexte Tabule.

CAPUCCINORUM FAMILIA EX ITALIA
SANCTIMONIALIBUS VENERABILIS
SACRAMENTI
E GALLIA IN REGNUM ACCITIS
EISQUE TEMPLO COENOBIOQUE
MUNIFICENTISSIME EXTRUCTIS
EXIMIÆ SUÆ IN DEUM PIETATIS
AC RELIGIONIS
PERENNE MONUMENTUM.

Sacris, ſolenni Eccleſie ritu, operatus eſt Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dominus Conſtantinus Brzoſtouski Epiſcopus Vilnenſis, & primus Senator Magni Ducatus Lithuanie. Quibus interfuerunt Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi DD. S.R.E. Cardinales,

Maidalchinus.
Barberinus.
De Carpineo.
Nerlius.
Mareſcottus.

Denhoff.
Colloredus.
De Fourbin.
Judice.
Costagutus.
Noris.
Pamphilius.
Otthobonus.
Bichius.
Laurentius Alterius.

Oratione de Regis laudibus absoluta, duo Illustrissimi ac Reverendissimi Patriarchæ, nempe Odoardus Cybo Patriarcha Constantinopolitanus, & Michael Angelus Matthæjus Patriarcha Antiochenus, ac totidem Archiepiscopi, videlicet Franciscus Antonius Delcius, Archiepiscopus Pisarum, & Franciscus Martellius Archiepiscopus Corinthiensis, Ecclesiastico ritu absolutiones ad prædictum Cenotaphium persolaerunt.

ORA-




ORATIO VI.

IN FUNERE

ELEONORÆ AUSTRIACÆ

POLONIÆ REGINÆ, LOTHARINGIÆ, BARRIQUE DUCIS,

Habita in Aula Maxima Collegii Romani.



OCCUPAVIT hæc multorum animos & illexit opinio, ut, si minùs ad fovendos atque corroborandos conatus illos, quibus præstantia ingenia informantur ad virtutem, certè nonnihil ad hujus commendationem & spe-

ciem suffragatione sua sibi persuadeant conferre fortunam. Sic enim statuunt, vitæ cursu usuque rerum semper incommodo, perire nobis potissimam excolendæ honestatis illecebram, & difficilis cujusdam ingenii atque morosi rem esse, virtutem infelicem. Quamobrem à Pompeji Magni disertissimo laudatore rectè & ordine factum esse contendunt, quòd inter bellicæ disciplinæ prærogativas felicitatem retulerit, & Romano Imperio accidisse vel maximè gloriosum, quòd ad illius amplitudinem constituendam, ut sunt Historici verba, contendisse Virtus & Fortuna visæ sint. Quod si cumulatissimam sæpenumero laudem obtinuit etiam fortunæ cognatione atque complexu sublevata virtus,quo ego nomine, aut quibus laudum præconiis censeam efferamque Eleonoram Austriacam Poloniæ Reginam, cujus ad exaggeratæ comparationem gloriæ natum ingenium ita exornandum virtus sepofuit sibi, ut in illa honestanda, extollenda, illustranda, nullum fortunę, ne vulgaris quidem gratiæ locum reliquerit? Ut unam in paucissimis numerari fas sit, ad quam omni laudum complexione atque concentu condecorandam Virtus toto quidem decorum suorum choragio, sed nullo inito

cum

cum Fortuna commercio conſpiraverit.

At nonnemo aſperioribus hìc me fortaſſe verbis accipiat. Itane verò Eleonoram nullis Fortunæ promeritis fuiſſe devinctam, quæ inter Gonzagarum & Auſtriacæ familiæ lauros faſceſque ad Solis prodiit, invidiamne dicam, an lucem? An tot luculentiſſimis exemplis parum quis eſſe teſtatum duxerit, partus Auſtriacos, in ipſo fortunæ ſinu, avito quodam veluti jure, ſoboleſcere? Verùm, ut iſtiuſmodi quantacumque demum imaginum atque titulorum inſignia fortuna illi debuerit, non debuit illa fortunæ: ſuſtinuit exortu ſuo tot decorum honeſtamenta, non ſenſit; nec perrepſit in illa, ſed incidit. Patere tamen, Eleonora, ſummam hanc generis claritudinem in laudum tuarum contubernium utcumque recipi, quæ ſæpe utramque commendationis paginam facit. Neque idcirco Gonzagarum hìc vetuſtiſſima ornamenta, multis abhinc ſæculis nobilium Scriptorum conſignata monumentis, ſupervacanea prædicatione adæquare inſtituam. Nam Auſtriacę familię ſplendorem illum, fruſtra ſim, ſi vel intento procul digito oſtendam, aut inopiâ dicendi minora veris faciam, quæ ſolum poſcùnt obſequium religioſi cujuſdam, ut veterum ſacra, ſilentii.

Hac majorum amplitudine, & tanquam rudimentis ſplendidiſſimæ laudis initiatam indolem, ad præſtantis ſolidæque virtutis diſciplinam limamque tam impenſo inflammatoque illa ſtudio exegit, ut jam tum in illa ætatula, vitęque lucidiſſimæ exalbeſcente veluti Aurora, eximium ſpecimen conſtantiæ pluſquam virilis præ ſe non obſcurè ferret.

Næ illi ſupra modum deſipiunt, qui ſinceram germanamque fortitudinem aut inacceſſarum arcium munimentis, aut denſiſſimis armatorum cuneis contineri putant. Quem illa ſubigendum ſibi confirmandumque unicè poſcit, animus eſt. Is ruinoſo hoc mortalique hoſpitio receptus, non metallis chalybum, non loricis adamantinis, ſed periculorum contemptu, adverſorum caſuum tolerantiâ,evanidarum rerum atque fluxarum deſpicientiâ, fulciendus eſt; conſilio, firmitate, conſtantia muniendus. Quæ ſanè arma nec in Cyri alicujus caſtris invenias, nec fabuloſis Cyclopum incudibus excuderit Homericus ille immortalis clypei machinator & artifex. Nemo ſiquidem multiformis ſtructuræ propugnaculis ita Regni ſui Arces hactenus communivit, & à metu hoſtium aſſeruit, ut inteſtinas etiam animorum turbas, metus, curaſ-

que

que sustulerit. Mortalia in postremis ducere, imperare fortunę, commotiones animi subitas in potestate habere, ea demum sunt, quæ virtuti splendidè mancipata pectora, rectâ in gremium atque complexum Felicitatis ferunt. Quibus cęlestium armorum præsidiis instructum Eleonorę animum nulli infestissimę sortis assultus labefactare, nullę sinistrorum eventuum oppugnationes infringere, nulli calamitatum coacervati impetus comminuere potuerunt.

Michaeli Polonię Regi in matrimonium collocata, cum hic citissimo raptus interitu inter mortales degere desiisset, à tædarum connubialium luce ad faces emortuales, à thalamo ad feretrum, à regiæ Sponsæ delinimentis ad mœstissimę conditionem delabitur orbitatis: cum non tam Regno à Polonis, quàm hospitio recepta, nec tam Sponsi dexteram videretur esse complexa, quàm cineres. Ostendit illam Poloniæ Regno fortuna magis quàm tradidit: nimirum ut strenuissima Natio invictissimæ fortitudinis documentum, nulla obliterandum temporum vicissitudine injuriaque, suspiceret. Perexiguum illi regnandi spatium indulsit; sed ut ipsa administrationis regię brevitas omnium virtu-

tum exemplis meritissimo jure sibi conciliatam glorię diuturnitatem intenderet. Primos hosce calamitosi sterilisque Conjugii casus, Eleonorę tentamenta quædam, rudemque velitationem interpretari liceat, longè graviorem majoremque cum fortuna congressum meditantis.

Michaele Rege laboribus mortalis vitæ perfuncto, studia sua omnia, officia, diligentiam accommodavit, ut indicta Procerum de more Comitia, Polonici Regni gubernaculis admoverent Carolum Lotharingię Ducem, virum usui publicæ felicitatis unicè natum; decus illud lumenque Germanię; Propugnatorem illum Christianę Reipublicæ invictissimum; Othomanici Imperii terrorem illum, fidusque formidolosum; quo nemo imperatorias artes exactiùs calluit, cumulatiùs obtinuit, feliciùs administravit. Verùm pulcherrimę designationi gravissimas, ut assolet, exortas concertationes officere, & sua consilia conatusque interpellari, facili conjectura assequebatur: jam tum scilicet Joannem Sobieski, alterum illud belli fulmen, providentissimi Numinis manu ad Sarmatię Regnum, velut in altum efferente, ut in capita quietis publicę hostium aliquando summo fragore, majori

jori clade corrueret. Adverſitas illa ſuſceptę inſtitutæque tractationis Eleonoræ vota fortaſſe, neutiquam profectò animum remorata eſt. Eò firmior fuit voluntatis propenſione Lotharingi virtutibus oppignoratę atque deſponſę, quò dignitatis ipſius amplificandę efferendęque cōſilia minùs bellè ſentiret è ſententia procedere. Magnetici lapidis admirabile ingenium dixeris ęmulatam, qui ſi chalybis maſsā, aut iniquiore pondere prę̨gravem, aut degeneri temperatione vitioſam attollere in ſublime non poteſt, eidem certè defixus arctiſsimè adhęreſcit; neſcio quæ amoris inchoamenta nexuſque etiam in ferri viſceribus moliēte natura. Itaque dum alter in alterius animo collucentium virtutum fulgore perſtringitur, Leopoldo Cęſare nuptiarum Auſpice Auguſtiſsimo, Carolo Lotharingię Duci Eleonora Auſtriaca, Polonię Regina, vitę ſociam ſe, thalamique cōſortem adſtrinxit. Tametſi conciliatos jampridem animos annorum omnino quatuor interjectu thalamus junxit, dum Noviomagi lentarum, ut moris eſt, atque cunctantium diſceptationum exitum opperiuntur, ubi à partium Sequeſtribus de Carolo in avitum Principatum reſtituendo, longâ laborioſâque contentione habitâ, re demùm irritâ infectâque

utrin-

utrinque discessum est. Singularis morum similitudo, quâ alter alterius ingenio, indole, elegantia insatiabiliter capiebatur, utrosque facilè sociavit. Mores aderant graves, compositi, non pigmentis quibusdam infuscati, sed ingenita facilitate conditi, quique amari, quàm timeri mallent; odisse verò, nisi virtute ipsâ infestè abdicatâ, non posses.

Eam contubernii vitęque simul actę jucundissimam societatem propiùs nihil fuit, quàm ut interventu iterùm suo discinderet, certè non desiit pro viribus disturbare fortuna. Siquidem in Germania, in Hungaria, ad Rhènum, ad Danubium immanissimi bellorum turbines excitati Carolum, perpetuis fermè avocationibus, ad pręlio cum hoste decernendum, ad munitissimarum arcium oppugnationes, suâ scilicet tranquillitatem salutemque omnium in manu gerentem, distraxerunt. Quas verò ille artes, machinasque commentus est, ut Sponsę frequentissimo juxta, acerbissimoque digressu suo ægrescentis mœrorem, anxietatem, solicitudinem falleret? Quoties per semirutos murorum anfractus evadendum illi fuit, ut à lacrimis supremi congressus, ubi sensus doloris, in Sponsa pręsertim, solet esse tenerrimus, maturè se tempestivèque

vèque ſubduceret? Quoties per ſimulationem officii ſalutari apprecatione ab illa impertitus, clam poſtea furtimque ſe, nullo pompę ſtrepitu fraudem redolente, proripuit? Quoties, ut ſemel dicam, amatiſsimam Conjugem ne proderet, prodidit? Ergo duriſsimâ tot diſceſsionum neceſsitate, & triſtiſsimo illa deſiderio contabeſcebat. Subibat animum, huc demum recidiſſe res ſuas, ut, quę Regio in Polonia Sponſo nuper elato debitas lacrimas nondum abſterſiſſet, alterius nunc chariſsimique toties iterato diſceſſu, in perpetuo ſcilicet mœrore ſqualeret. Expeditiones perſanè incommodę, incerti bellorum eventus, præliorum caſus, etiam fortiſsimis pertimeſcendi, aſsidua trepidatione agitatum animum evibratumque conficiebant. Potentiſsimus hoſtis, quîcum ſigna conferret, fallacis ſemper infidęque Turcicæ gentis ingenium, rebellium Hungarorum in ſumma etiam capita multis compertiſsimę documentis inſidię, & ſicę venales, ante oculos obverſabantur. Dimicantis labor ille, ille ſudor, ille pulvis animo sēper anxio atque prętrepido relictę Spōſę oberrabat.

Relictamne potui Eleonoram per ſummam imprudentiam & inſcitiam dicere? Aderat illa lateri Conjugis ſui, communem cauſam felicis-

licissimo gladio perorantis, individuo semper animo. Aderat assiduâ ad Deum, Cęlitesque nuncupatione votorum. Cum pro Caroli salute supplicem se ante aras abjiceret; cum pro illius tuenda incolumitate, Religiosorum Ordinum, sacrarum Virginum occurreret egestati; cum regales manus impenderet atque demitteret excerpendis è tenuissima carbaso linamentis, quibus iñ Hungariam ingenti quadam copia tractim jugiterque transmissis, milites sua vulnera imbuerent; tunc, inquam, pręcipua sui parte indiscreta illi penitus aderat. Quacunque ille gradum ferret, in jugorum ascensu, in trajectu fluminum, in hostilium aggressione castrorum, unà juxtaque erat. Illa tubarum ac lituorum clangoribus excitabatur; efferatæ barbarorum voces, cæsorum indignabundi gemitus illius feriebant aures; illa vastationes agrorum, agminum conflictus, Urbium incendia sustinebat; tota Turcici belli mole, omnibus illa tormentorum, ac volitantium telorum ictibus petebatur. Quę haud dubiè bellorum discrimina cum præverteret animo, & Carolo maturiùs occuparet, eò enixiùs perpetua in dies noctesque supplicatione, divinæ Fidei, ac Cælitum patrocinio commendabat Sponsum, quo nihil

habe-

haberet in terris charius, in cujus virtute ſalus publica atque felicitas, in cujus vita Sponſæ felicitas ſaluſque contineretur. Hinc illę ad cæleſtium Civium, ac præſertim Deiparæ Virginis ſacras icones pervigilatæ cum lacrimis noctes, hinc producta jejunia, hinc illa in penitiſsimo conclavi flagrorum acerbitas, ferrea illa aculeatis cuſpidibus cingula, ad quorum lanienam, prodigii ſimile eſt, delicatiſsimos artus non penitus concidiſſe; meus certè ipſa commemoratione animus perhorreſcit.

Et hæc ſanè ſtudia Chriſtianæ pietatis non eſt quòd in dubitationem quiſquam adducat ad Caroli victorias, ad prodigioſam illam armorum proſperitatem, adjumenti plurimum attuliſſe. Splendidam hanc gloriæ tuæ inuſtam injuriam, ut non æquo ſolùm, ſed jucundiſſimo feras animo, Lotharinge, rogo & obteſtor. Eleonora in ſuo ſacri privatique Lararii receſſu longè validiores copias tuis illis plurium victoriarum quam ſtipendiorum militibus, explicabat. In hoſtium capita firmiore impetu, certiore exitio, fortior, quia inermis, inſiliebat. Tuum illa etiam acuebat gladium; tuos animos inflammabat. Illa procudebat fortiſſima tela, quæ tu in pulverem progreſſus ſolemque torquebas. In machinario quodam velu-

veluti horologio, occultis illa atque fallentibus curis dispertiebat lætissimos Europæ dies, faustissima Religioni spatia temporum futurorum, quæ Tu gladii tui cuspide lingulâque palam ostenderes, & resonantium denuntiares murmure metallorum. Cum verò reditu Carolus, ut semper, felicissimo, diuturna expectatione solicitam reviseret atque reficeret; cum novis subinde lauris lætissimum thalamum, & cunas nobilissimæ sobolis obumbraret; cum gratulationibus maximorum Principum, effusis populorum occursibus, Scriptorum omnium calamis, hymnis, pæanibus exciperetur; cum demum victricem dexteram, aram illam & commune perfugium publicæ securitatis, innumera populorum certatim confluentium impressa oscula defatigarent; tunc, inquam, haud cuiquam credibile est, quantis illa lætitiis incederet, quantò exiliret gaudio; cum à narrantis ore suspensa penderet; cum de Lotharingi amplissimis ornamentis ac prope divinis, quæ non immeritò sua duceret, superbiret; assertâque ab illo Christiani nominis, Vaticani, summique Sacerdotii Majestate, incolumitate verò publica restituta, in ipso victoris sinu speciosissimè triumpharet.

Ve-

Verùm, heu! nulli faciliùs arbori inseritur surculus, quàm lauro cupressus. Enimvero Carolus, maturo quidem gloriæ suæ, sed supra fidem alieno Reipublicæ tempore, de vita decedens, spes Europæ in se unicè erectas elusit; victoriarum incitatissimum cursum abrupit; Conjugis ærumnosæ spes omnes ac vitæ prope causas pessumdedit. Ad quem ego dicendi locum perdifficilem fa[illegible], & multis, ut video, salebris scrupulosum adductus, hærendo identidem reticendoque disertiùs assimilabo extremi doloris acerbissimum sensum, quem summa infortunia non exacuunt lacrimis, non querelis exasperant, sed maligni afflatu quodam veluti sideris hebetant atque percellunt. Velamentum illud, ab eximio Pictore ad ingeniosiùs dolendum excogitatum, Eleonoræ vultui injicere liceat, ad urnam, ad amplexos Caroli cineres exulcerato animo procumbentis. Fugite autem suspicari aut effrenatam doloris impotentiam, aut naturę sexusque imbecillitatem lacrimas illas non viriles modò sed planè regias expresſisse. Novimus apud Homerum, Martem ipsum, accepto vulnere, muliercularum leviſsimo gemitu turpiter deformatum, Achillem verò Patrocli morte sic fuisse commotum, ut amicum de la-

niato

niato pectore refossum ire videretur. Ita luctum, quo nihil ceteroqui intractabilius, moderabatur Eleonora, ut mortali se nuptam esse meminisset; ut licet amoris sui maximam rationem, equitatis atque constantiæ longè majorem sibi habendam esse intelligeret. Hinc ubi primùm de Caroli morte cognovit, excepto genibus corpore, demissâ fronte, palmisque compressis suppliciter ad pectus admotis, vetus illud Vatis divini verbum dulcissimè usurpabat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*. O vocem, certissimum indicem integerrimi pectoris, pietatis verò fiduciæque plenissimam! O firmitatem animi supra sexum, constantiam supra Mortalem! Ejusdem roboris fuit, cum non multis ante mensibus lectissimam Filiam, in Gratiarum sinu adolescentem, morbus præripuisset, suis ipsam manibus extinctę attrectare corpusculum, convestire, ornare cultu lætissimo; satis consciam ad cujus Sponsi Regisque immortalis complexus fortunatissimam Infantem nuptum transmitteret.

Carolo è terris erepto, quæ solùm reliqua habebat viduitatis solatia, Filiorum convictu solitudinem mitigabat, suavissimo conspectu amorem explebat. Eos ad summa virtutum

exem-

exempla genitos, educatos ingenuè, liberaliter institutos, ita ad rerum cælestium virtutumque illi fastigio congruentium studium incendebat, ut divini Numinis metum salutarem imbiberent, amarent inter se plurimùm, animorum concordiam, voluntatum consensionem tuerentur. Ipsa singulis, sive animi æquitatem, moderationem, honestatem requirerent, exemplo; sive Religionem in Deum, in sacros homines reverentiam exigerent, erat incitamento. Nihil æquè se in optatis habere palam testata sæpissimè, quàm ut fato subito ad suos pedes de vita migrarent, priùs quàm ulla unquam gravioris culpæ mortifera labe respergerentur. Quid autem ad sempiternam pietatis testificationem illustrius, quàm cum à Leopoldo Cæsare summa ope contenderet, ut Filius natu maximus, in cujus ingenio paternæ virtutis significationes omnes & radii emicabant, non ad Rhenum recuperandæ Lotharingiæ studio, sed in Hungaria bellici sudoris tirocinium poneret? Augustissimum verò fratrem certissimum esse juberet, fore sibi gratissimum, si Filius adversùs Religionis hostes fortissimè dimicans, vitam profunderet; cujus cæteroquin amissionem nullis in Germania Regnorum accessionibus satis redimi

posse arbitraretur. Quàm verò singularem admirationem extorquent illa Religionis exempla, cùm semel, iterum, ac tertiò cælestis Hostiæ immolationi quotidie interesset, nec substratos pulvinos holosericos, quasi in ipsa demissione fastum, accerseret: cum quotidie ad persolutam Deiparæ Virgini, ex Ecclesiæ ritu, psalmodiam, ad expiatorias piè sanctèque demortuorum preces, horarias etiā precationes impendiò longiores adstrueret: cum frequentiùs per annum in Hallensem divino cultui dicatarum Virginum Parthenonem de rebus cælestibus commentandi studio se abderet; ac sibi tunc demum beatè esse diceret, cum sacrorum voluminum lectionem in solidas horas continuaret; cum vitæ suæ rationem sedulò à se perquisitèque repeteret, ac divinis illis exercitationibus excoleret animum, quas cælesti sibi lumine pręmonstratas, Divus Ignatius Familiæ nostræ Institutor, singulari beneficio posteris propagavit. Sicubi audiret ad vegetandos ęgrotorum animos publicè deferri, è Catholico instituto, Ferculum immortalitatis, non modò solenni pompâ commigrantem Mystam reverentissimè subsequebatur; sed decumbentium, infimę plerumque conditionis locique hominum

num

num lectulis assidens, pio eosdem recreabat alloquio, auroque largiter erogato in posterum sustentabat. Egenorum certè difficultatibus & inopiâ ita commovebatur, ut ejus generis hominum non minùs ducentis certam pecuniæ summam viritim quotidie de manu traderet! Argentum autem recens signatum ad hujusmodi largitiones adhibebat semper, ut eorum usui simul, deliciisque prospiceret. Quanto demum observantię studio in Apostolicam Sedem semper exarserit, testes appello Innocentii XI. Pont. Max. litteras, ex quibus cum sacro Romanæ Ecclesiæ cœtui adscriptum intellexisset Principem Carolum, tanquam non humanis consiliis, sed divinitus acceptâ Filii sorte ab ipso Interprete Divinitatis, solutiore se ab ea cura in posterum animo futuram, Filium verò felicissimum prædicabat. Quod autem pręcipua quadam inductione animi Innocentii XII. virtutibus mirificè raperetur, & vicissim singularia Pontificis Optimi in Eleonoram benevolentiæ testimonia semper extiterint, mirari desinet quicumque ab eodem, dum in Aula Viennensi Pontificium Legatum ageret, Eleonoram sacro Chrismate delibutam fuisse reputaverit. Ut nulla jam admiratione me afficiat firmissimus

ille Reginæ animus, quem ad tot ſuſtinenda certamina, ſtrenuiſſimum veluti Palęſtritam, ſacra moderatricis olim terrarum manus inunctio pręparaverit.

Et his quidem virtutum exemplis ita Filiis prȩlucebat, ut ſolicitum animum, indeſidem operam in omne tempus, curaſque converteret ad eorum exiſtimationem tuendam, amplificandam dignitatem, longè clariſſimi patrimonii redintegrationem curandam. Diſcruciabatur illa animi, ac vehementer angebatur, dejectos fortunis omnibus, viciſſitudinum humanarum oſtentui eſſe Principes ea ſtirpe procreatos, ex qua, nunquam intermiſſa ſerie, ſeptem ſupra ſexaginta Lotharingiæ Duces prodierint: cujus verò ita ſplendidæ propinquitates, atque cognationes fuiſſent, ut nullas cenſere liceat regias in Europa Familias, quę in ſe Lotharingii ſanguinis partem aliquam derivatam eſſe non fateantur. Multa de eorum in Lotharingiam reditu molienti, omnia pertentanti, iniquitas temporis ſemper obſtiterat. Arriſit demùm Eleonoræ votis aura illa felicior, quę Europam, ab æſtu tot armorum atque diſcordiarum renavigantem, ad optatiſſimæ ſinum retulit tranquillitatis. Etenim cum pacis inter Europæ Principes conciliandę

Reſ-

Resvichii apud Batavos instituti Caduceatores & Arbitri deturbatas multorum Principum rationes accuratè definitèque transigerent, uti Leopoldus Eleonoræ maximus natu Filius in Lotharingiam longo postliminio reduceretur, honestissimis conditionibus sanciverunt. Verùm, ò rerum humanarum vices semper incertas, sæpe fallaces! dum impetrato demum Dominorum reditu, Lotharingiæ vota longâ expectatione distenta conquiescunt; dum Nationis ab omni laude spectatissimæ incredibili voluptate perfunduntur animi; dum Civitates omnes fecundissimâ admurmuratione plausuque perstrepunt; dum elegantissimâ pompâ magnificè apparatèque instructa omnia Reginæ triumphalem cum filiis reditum præstolantur, in ipso Lotharingiæ aditu inter ipsa gestientium populorum obsequia, Eleonora, quo demum cunque mortali Regno major atque sublimior, supremum diem explevit.


Cum verò illa tanta decorum laudumque suarum luce perorandi materiam omnem præceperit, tot adversùs fortissimam Heroinam vicissitudines, tot injurias tuas liceat hìc mihi tantisper tecum expostulare, Fortuna. Quænam isthæc tui cordis durities? quænam inge-

nii tui protervitas est? brevissimam illius in Polonia regii thalami, regnique amplissimi usuram esse voluisti. Carolo fortunis suis deturbato, absenti plurimùm, bellis durissimis semper exercito, demum in ipso rerum maximarum cursu è vivis sublato, iterum colligasti: ipsam verò alterum ferme pedem in Lotharingiam inferentem, sævissimâ inde funeris acerbitate rejicis, atque depellis. Quid tibi consilii esse putem? quid cogitas? quid moliris? Offensiones istas tuas, & gravissima vulnera in monumenta illa vertit gloriæ suæ: te invita, & vanissimis scilicet conatibus obstrepente, felicissima prædicabitur. Nulla erit tam ingrata posteritas, quæ illius memoriam obsolescere patiatur;nulla illam non requiret ætas; nulla non demirabitur efferetque religio populorum. Vos verò excelsissima indole, præstanti in hoc etiam flore ætatis virtute, Principes Lotharingi, quorum nunquam ingenium ab institutione, voluntas à consiliis, pietas ab exemplis præstantissimæ Matris discrepavit, vos, inquam, in extrema orationis meæ parte hoc exorare me finite, ut, cum vobis Parentem longè prȩclarissimam gratulari me dixero, non ex consuetudinis formula certis conceptam verbis, non assentandi studio ambitio-

sè

sè quæsitam, sed ex animo depromptam, ac summis Genitricis vestræ atque certissimis virtutum documentis expressam gratulationem meam putetis. Quod si de ejus laudibus dicere aggressus, excelsa demissè, illustria inornatè, amplissima parcè delibavi atque perstrinxi; si obscura colorum adumbratione immensorum illius decorum ne levissimam quidem partem sum assequutus, eximio eidem decori fuerit atque solatio, longè splendidiorem imaginem sui, eandemque vivam atque spirantem in vestris animis circumferri, in vestris moribus efflorescere. Nulla certè delineamenta Eleonorę constantiam illam apertiùs subjiciant oculis, quâm ardor ille tuus, Dux Leopolde, generosissimus, cum tenerum adhuc annis, sed virtutę firmissimum animum Hungarici belli laboribus consecrasti. Quemadmodum etenim Publius Scipio, cum vix flexâ in adolescentiam ætate, ac ferme prætextatus adversùs Annibalem in Italia congrederetur, jam tum subigendæ Africæ, & Carthaginis evertendæ spem certissimam faciebat; ita profectò in illis abs te positis militiæ rudimentis, ea illustrium facinorum auspicia relucebant, quæ paternæ Tę gloriæ non modò hæredem dignissimum, sed egregium aliquando amplificatorem & æmu-

lum prænunciarent. Austriacæ verò Parentis pietatem quàm luculenter appositèque omnibus repræsentat tui candor & integritas animi, Princeps Carole, de cujus virtute Innocentii XI. Pont. Max. illustre præjudicium atque præsagium extitit; cum Tibi adhuc sexenni amplissimi Sacerdotii titulis insignito indulgeret, ut in ea ætatula verticis in coronam rasi, prima scilicet Ecclesiæ Romanæ tuendæ propugnandæque authorati Militis gestares insignia; quem porrò quintum decimum agentem annum Innocentii XII. Pont. Max. longè prolixior beneficentia splendidissimis Olomucensis Ecclesiæ infulis honestavit & auxit. Agite itaque, Nobilissimi Principes, & per Parentum vestrorum æternæ laudis monumentis impressa vestigia ad sublimem gloriæ verticem enitamini. Quod si Parentis Vestræ sine fortunæ calculo eximiam virtutem indicare contigit mihi, confido, fore, ut feliciores me vestrarum laudum Præcones suarum partium esse aliquando statuant, ostendere, ad conciliandam nomini vestro immortalitatem, summam consensisse cum summa Virtute Fortunam.



ORATIO VII.

IN FUNERE

ALOISII HOMODEI S.R.E. CARDINALIS.

Habita in Templo S. MARCELLI, Ordinis Patrum Servorum S. MARIÆ.



SI in alio quovis consessu, quàm apud vos, sapientissimi Patres, de virtutibus Aloisii Cardinalis Homodei, amplissimi Protectoris vestri, mihi esset instituenda laudatio, etiamsi rerum copiæ atque præstantiæ haud dubiè imparem, non omni tamen ex parte contemnendam orationem contingere mihi posse con-

confiderem. Certè, quæ duæ res in ſplendidorum Funerum partem Oratorem ſolēt admittere, ut ſolatia dicendo comparet dolori publico, & illuſtrium virorum decora cum eorum vitâ extingui atque aboleri non ſinat, ejuſmodi ſunt, ut me incredibilem in modum ab hoc mœſtiſſimo munere abſterreant. Ut enim ſqualorem iſtum, luctum & ægritudinem, quæ vos altiſſimè obſidet, mitigem atque deliniam, quod allevamenti genus excogitem? quæ tam valida adhibeam fomenta? quos conſolandi locos, ac veluti copias inſtruam? Dicam, non eſſe noſtræ poteſtatis vitæ moram fluenti injicere, & à præcipiti fuga impetum temporis ſuſtinere, quod, nedum alia omnia, aliquam ſui partem ſingulis quibuſque momentis decerpit? At hoc nimis eſt uſitatum ſolandi genus. Dicam cum Tullio, diverſorium eſſe hominum vitam, aut potiùs cum Socrate apud Platonem, quoddam Præſidium, ex quo cuique ſit emigrandum ad omnem vel vocem Hoſpitis, vel nutum Imperatoris? At hoc etiam vetus notumque, &, pro magnitudine veſtri doloris, exiguum. Dicam, Mortem de copia numeroque nihil ſolicitam, utpote quæ pro certo habet omnes in ſuo ære eſſe mortales, jucundiores dumtaxat horas captare,

re, & cariſſima nobis capita eligere, quò majorem ſibi ſeveritatis gloriam conciliet? Adjiciam, aliò ab eadem directos ictus, cæco impetu in amiciſſimos deflecti, quemadmodum Peleus ille apud Pindarum, excuſſo in feram jaculo, ab eadem longiſſimè aberrans, ſociorum cariſsimum Eurithyonem transfixit? Moneam poſtremò vos, ut ereptum è vivis hominem mirari & conqueri deſinatis, qui illuc omnes ferri, eumque naturæ ordinem ignorare non potuiſtis? Præter enim quàm quod unicum eſt neceſsitatis effugium, velle quod cogit, acerbiſsimos hujuſmodi vitæ caſus ad ſupremum illum rerum Arbitrum à nobis referri æquum eſt, cui nos reſque noſtras omnes impenſiùs multò quàm nobis curæ eſſe, niſi planè deſipimus, confitemur. Fortia hæc quidem & vera ſolatia, ſi illa immenſus dolor audiret. Num igitur hac parte penitus prętermiſſa, ad ipſas emortui Principis laudes aggrediar? Apud quos verò? Nimirum apud eos, qui Familiæ ſuæ Patronum amantiſsimum intimè perſpectum habuerunt, qui ejuſdem divinæ prope virtutis certiſsimi teſtes, aſſidui admiratores, ad hęc grati, ut par eſt, animi teſtificatione, & amoris in eum magnitudine incenſi, nihil tenue aut vulgare, ſed
ex-

excelsa omnia atque sublimia de eodem prædicari meritò expectant. Videtis, Patres, quàm duram hodie provinciam demandastis mihi. Videtis, me nec dolorem vestrum abstergere satis posse, nec Protectoris vestri laudibus exornandis ulla apud vos dicendi vi satis paratum & instructum accedere. At verò nec pietatis vestræ fuerit committere, ut in gravissimo vulnere dolor publicus obmutescat, nec meæ erga vos est observantiæ, in tam acerbo luctuosoque munere vestræ me voluntati non esse morigerum. Præsertim cum ipsa rei difficultas mihi suggerat animos, cogitanti, si exiliter tam copiosas laudes attigero, si nihil dignum præstantissimi Principis admirabilitate protulerim, in has me angustias conjici necessitate potius argumenti in amplissimam segetem novæ laudis effusi, quàm aut exiguitate temporis, aut inopiâ facultatis. Obsecro demum vos & obtestor, ut tantùm vestra me humanitate & benevolentia sustentetis, quantùm mihi virium & ingenii, ad expectationem vestram explendam, deesse sentio.

Qui maximorum Principum dignitatem non aliâ ferè decempedâ metiuntur, quâm nescio quo à gelidis & obscuris Majorum sepul-

chris

chris repetito ſplendore proſapiæ, ii perinde mihi ineptire videntur, ut Pictorum quidam imperitiſſimus, qui Helenæ effigiem meditans, eam monili baccato, ſegmentata veſte, multoque gemmarum congeſtu oneratam potiùs quàm ornatam exhibuit; planè ut artis inopiam nihil magis quàm operis opulentia teſtaretur. Longè feliciori ſucceſſu ejuſdem fœminæ vultum, in ſuo Helenæ Encomio, expreſſit Iſocrates; qui illam vivis, ex Rhetorum arculis, depromptis coloribus ſic animare legitur, ut ne ipſius quidem Paridis judicium reformidet. Quod ſi propriis,non aſcitis viribus æſtimanda eſt venuſtas & pulchritudo, quam alii radium, alii florem virtutis appellarunt, quid, rogo vos, de virtute ipſa, veraque animorum excellentia judicatis? Quod equidem non ideo commemoraverim, ut clariſſimi ſanguinis ornamentum à magnis viris negligendum, aut faſtidiendum putem; ſed eò dixerim, ut intelligatis, ſi ſtirpis Homodeę illuſtria decora, vetuſtas opes, validas propinquitates atque cognationes in medium afferam, univerſam illam Majorum lucem ab una Aloiſii virtute quàm glorioſiſſimè pręumbrari. Exigui eſſe ducebat animi Vir ille maximus generoſæ ſtirpis hæredem potius, quàm Au-

Authorem monſtrari; illumque imitari fabulis decantatum Eridanum, qui non tam aquis ſuis, quàm Ticini, Abduæ, Mincii, aliorumque dumtaxat amnium atque torrentium acceſſionibus & rapinis intumeſcit. Itaque quemadmodum ſigilla quædam rudeſque imagunculas ex argilla vel cera conflare ſolent artifices, iiſque vires ſuas explorare ad grandius ſimulacrum, quod moliuntur; ſic Natura, virtutum, quas in Aloiſium congerere conſtituerat, adumbrationes quaſdam atque conatus in Majorum ſerie præmonſtravit, ut ſuarum virium ſecura ad hujus amplitudinem exaggerandam niſus omnes conferret, omnes opum ſuarum copias explicaret. Quidni verò ſic de eo Viro firmiſſimè adducar ut credam, cujus vel in ſubluſtri rationis crepuſculo adulta virtus ſumma in poſterum incrementa largè atque magnificè pollicebatur? Itaque ad omnem partem veræ honeſtatis egregiam indolem acriter intendere; nihil in Pueritia puerililiter agere; magnamque omnibus ſpem afferre eximiæ probitatis atque ſapientiæ, ſi maturitas illa per debitos gradus ad ſuum faſtigium perduceretur. Herculem, ſive Thebanum illum, ſive illum alterum Libycum, ſive potius ex utroque miſtum ac temperatum

cen-

censetis, non tam pro fortissimo Heroe, quàm pro spiranti quodam ipsius Fortitudinis Simulacro ab antiquitate nobis propositum fuisse constat. Sciscitari autem ex vobis libet, ecquod ex tanta illustrium ejus facinorum copia, laude & prædicatione vestra dignissimum statuatis? Æneisne vinculis illigatum Cerberum, & ex Tartari ostio eductum, an silvescentis Hydræ ramosam pestem elisam? Antæumne, Terræ filium, in Libya suffocatum, an Busiride, Neptuni filio, sublato, ab importunissimi grassatoris metu solutam Ægyptum? Non est, quod singula recensentes per omnes viri invictissimi commendationis locos excurratis. Illud, meo judicio, Herculis facinus & omnium est longè pulcherrimum, & reliquorum familiam ducit, quod abunde locuples & idoneus testis Xenophon refert ex Prodico, Socratis Magistro, & veterum Sophistarum facilè ingeniosissimo; Pueritiam, & Pythagoreum bivium ingresso Herculi geminas Deas apparuisse, Virtutem, & Voluptatem; Utramque obtulisse se nobili Thebano vitæ ducem, & felicitatis conciliatricem; Sed Herculem, cupidine gloriæ incensum, expensis utriusque conditionibus, ingenio artibusque perspectis, repudiata voluptate, Virtutem sequi maluisse.

luisse. Huc referri ratio postulat quidquid postea fortiter ille feliciterque gessit. Tunc Hispanum Geryonem, tunc Thracium Diomedem, tunc Thessaliæ Centauros, tunc universa terrarum portenta domuit, superavit, oppressit. Tunc demum, Eurystheo & Junone major, Cælum immortalitatemque promeruit. Præclarè proinde, ac nimiùm quantùm pro ætate sapienter Aloisius, qui non illuc Familiæ suæ splendorem contulit, ut omnibus quasi portis voluptatem reciperet, ejusque virgulâ contactus, ac de statu mentis dejectus, in Circei stabuli cœno & sordibus obbrutesceret. Utinam vulgatioris exempli, ac non potius prodigii cujusdam loco esset, adolescentes nobiles, in opibus affluente domo, in ætate licentiæ opportuna, tam sanctè ac temperanter vitam traducere, ut illos dulci illicio involuto hamo inescatos, ac nescio qua jucunditatis loto breviter depastos, ad extremum voluptas non ad Sirenios scopulos syrtesque differret. Plus quã omnia certè Stoicorũ paradoxa sapiens verumque meâ sententiâ illud est Toxili, apud Plautum servuli, dictum, qui citiùs cum Dracone & Cerbero deposcebat, quàm cum Amore pugnare. Quod si ejusmodi certamen visum est servo durissimum, quid in-

ingenuo? si pannoso homunculo rerumque omnium indigo asperrimum, quid opulentissimo juveni? si rudi & impolito impeditissimum, quid forma eleganti, cultu nitido, summaque morum facilitate prædito adolescenti? Excedit haud dubiè omnem fidem, Homodeum, non Ascetarum septis inclusum, vitâque ab hominum commercio circumscriptâ, sed in maximarum Urbium frequentia, inter æqualium cœtus, omni fortunarum copia circumfluentem, adversus improbi amoris impetus, & fallacis voluptatis insidias, fortissimum athletam procurrere. Quid, cum domesticos, siqua vitiorum fœditate contaminari contingeret, acerrimus vel in alios honestatis vindex, severis vocibus castigaret? Quid, cum liberiores Hospitum sermones ad mensam, verecundiâ, virtutis colore, suffusus, quò pudentiùs, eò fortiùs redargueret? Aderat quidem, ut moris est, Adolescentis lateri indivulsus morum Magister, qui quo pede in vitæ curriculo pergendum esset, viam commonstraret. Sed hujusmodi animi Formatorum una vox erat, supervacuam cum illo suam esse institutionem omnem & operam. Sibi potiùs, quo virtutum studio magis magisque proficerent, ab integerrimi juvenis vita,
 spe-

ſpectatiſſimæ exempla laudis, quolibet Monitore diſertiùs affatim exhiberi. Ipſe ſui cuſtos aderat: ipſe morum architectus, bonęque mentis faber: ipſe rigidiſſimus diſciplinæ expenſor, poſtulator, exactor. Tam vigili atque conſtanti in ſeipſum animadverſione perfectum eſt, ut illibatum reliquæ vitæ curſum facilè obtinuerit, multòque feliciùs, quàm Alpheus ille Arcadiæ fluvius, qui in mare influens aquas ſervare perhibetur à quacumque ſalſuginis contage puriſſimas.

Quoniam verò innocentiæ & probitati à bonis literis vetus eſt atque firmiſſima, quantùm humano præſidio comparari poteſt, cuſtodia, mentem cupidiſſimè appulit ad illas pacis alumnas, humanęque vitę ſocias honeſtiſſimas excolendas. Earum porro artium, quibus ad humaniorem cultũ informamur, non ideo ſolùm rationem ducebat, quòd præſtarent, ne in malum otium reſoluto hebeſcentique animo, pravis cupiditatibus rimę pateſcerent, verùm etiã quò earum adjumento expeditiſſimum ſibi muniret aditum ad eos honores, ad quos genitum ſe educatumque non ignorabat. Viderint iſti, qui generis claritatem pollui putant, ſi ad proſapiæ ſplendorem diſciplinarum intelligentia adſtruatur: qui in argumentum pompamque ma-

magnæ fortunæ, interiorum literarum non inſcitiam modò, ſed contemptum ſuperciliosum, & Vatinianum plane [redacted] odium trahunt; qui effrontem imperitiam præ ſe jactanter ferunt, vitamque voluptariam, non laborioſam plenamque ſudoris conſectantes, ſocordes & inglorii ſedent in otio: expectant, conjicio, dum Fortuna, ipſis quod dicitur dormientibus, honores in rete cogat, omniaque ſibi citra ſementem & arationem, tanquam Saturni ſæculo, largiter lautèque proveniant. Iis ſcilicet ullam eſſe reliquam ſcintillam mentis, ne ipſa quidem Pitho perſuaſerit mihi.

Tametſi verò Aloiſius iis præcipuè ſtudiis locandam ſibi eſſe operam intelligeret, quibus ad capeſſendam rempublicam, rerumque civilium tractationem inſtructior redderetur, tamen amœniores facultates ſuperſtruere ſeveriorum artium cognitioni, & Themidem, rixoſam Deam, manſuetis literis frangere ac temperare, non ad ornatum dumtaxat ingenui viri, verùm etiam ad dignitatem magnopere pertinere cum recta ratione arbitrabatur. At non idcirco amatoriis Fabulis, molliſſimis cantiunculis, & comentitiis prodigialium pugnarum narrationibus indul-

gebat, quarum lectione otium & ætatem conterere, id verò est magno conatu magnas nugas agere, & bonas horas malè perdère: ut omittam, contaminatis plerumque voluminibus pervolutandis,aut præsenti exitio corrumpi animos, aut manifestum profligandæ innocentiæ subire discrimen. Quapropter non infracto, molli, ac enervato dicendi genere delectabatur, sed quod à virtute colorem succumque duceret, quodque copiosum esset, grave, magnificum, causisque forensibus, ac publicarum rerum administrationi accommodatum. Legistis, Venerem Spartæ mœnibus appropinquantem, cesto, armillis, torquibus, cæteroque cultu muliebri procul abjecto, ut iniret à Lacedæmoniis gratiam, lævâ clypeo insertâ, loricâ incluso pectore, correptâque viriliter hastâ, eorum Urbi obequitasse. Ad eum ferme modum Eloquentiam, non comâ calamistris inustâ, non pigmentis infuscata facie, sed masculam & obarmatam ad rostra decet & Forum appellere. Tam bene positis palæstræ literariæ initiis, proximum fuit, ut Aloisius se ad Philosophiæ adyta, & penitiorem naturæ intelligentiam converteret.

Non sum multorum opinionis judiciique nescius,qui hoc genus omne studiorum,tanquam otio-

otiosum & sterile, carpere atque damnare non desinunt, iisque nobilem Juventutem frustra laborem impendere invidiosè ac temere criminantur. Irritâ quippe operâ cruciari ingenia flexuosis illis Philosophorum cavillationibus, quę ad usum humanę societatis, vitæque communis fructum nihil demum solent satis æstimandum adducere. Imò verò quemadmodum imperiti pugiles, consumptis umbratili & inani colluctatione viribus, ubi seriò est postea dimicandum, minùs firmi in arena deprehenduntur, isto perinde modo omnis Philosophica concertatio, clamores, jurgia, seditiones, Curiæ Forique lucem non sustinent; neque ad civilis turbæ strepitum, & concursationem, rerumque agendarum commodum quidquam validæ opis auxiliique conferunt. Verùm & allucinantur crassissimè, & laboriosè ipsi, dum talia mentiuntur, ineptiunt. Enimvero, sive ad sinistros vitę casus ęquabiliter perferendos, sive ad infensos fortunæ impetus fortiter propulsandos, nullum firmius quàm ab iis commentationibus petimus munimentum. Earum porro subsidiis confirmatus animus, securior quàm Teucer sub Ajacis clypeo, nullis debilitatur adversitatum ictibus, nullis obsecundat degenerum cupiditatum imperiis, omnem

rerum viciſſitudinem & inconſtantiam, iniqua & aſpera, iterum jucunda & felicia fortuitorum eventuum, cauta, expenſa, atque proviſa habet. Lautiſſimis hujuſmodi atque pulcherrimis conditionibus invitatus Homodeus, non priùs Juriſprudentiæ cognitioni ſe tranſdidit, quàm Philoſophiæ primùm, ac ſubinde Theologiæ Sacris initiaretur. Ut enim milites nulla re magis, quàm armorum nitore glorientur, non oſtentatione quadam, ſed quoniam quæ lucidiſſima ſunt, ad uſum accomodatiſſima reperiuntur; ſic mentes, quas ad ſuam cotem limamque ſeveriores illæ diſciplinę colluſtrant & exacuunt, ad cauſarum poſtmodum civilium perveſtigationem, non modò ornamenti plurimum, ſed mirum quantum utilitatis apportant.

Profectò ea eſt diſquiſitionum iudicialium legumque dignitas, ut nihil in publicum utilius, nihil ad concordiam, innocentiam, tranquillitatem conciliandam validius ſit nobis aut à natura conſtitutum, aut ab humana ſapientia comparatum. De cujus diſciplinæ divina laude quid magnificentius dicam, quâm quod Heraclitus, qui multò acriùs pro legibus, quàm pro mœnibus judicavit eſſe pugnandum? Etenim ſine mœnibus,

bus Civitates non incolumes solùm, sed abunde felices esse possunt: at sine legibus, perturbata atque proscissa reipublicæ facie, solutoque pœnarum metu, non sua parentibus authoritas, non liberis reverentia, non obsequium Magistratibus, non divinis, non humanis rebus officii ratio, aut concinnitas ordinis satis diuque constat. Habere hinc legum studia quandam cum Divinitate cognationem veteres edocent Legislatores, qui earum originem ad Deos immortales retulerunt. Equidem à Deo Homine regulas ad vitam exigendam omnium sanctissimas fuisse propositas, ambigere sine sacrilega temeritate non possumus. Moisen etiam supremi Numinis alloquio didicisse sapientissimas præscriptiones, quibus Hebraicum populum imbueret, firmissimè credimus. Quòd autem Charondas à Saturno, Trismegistus à Mercurio, Solon à Minerva, ab Apolline Lycurgus, à Vesta Zalmoxis, ab Oromasi Zoroaster, ab Ægeria Numa suas acceperint leges, commenti sunt scilicet viri sapientes, postquam à Deo Hebreis traditam vivendi normam à sacris literis cognoverunt. Eapropter optimo consilio Aloisius adjecit obnixè animum ad legum antiquitatem, disciplinam reipublicæ, Urbanas & bellicas digni-

tates, jura Sociorum, fœdera, & pactiones cognoscendas, quæ cum Hypseus & Octavius Oratores ignorarent, meritò sunt à Cicerone despecti. Facultatis longè operosissimæ stadium Perusiæ confecit, quod est nobile in primis omnigenæ doctrinæ, & præstantium ingeniorum emporium.

Habent hoc illustres Academiæ, ut illuc cum præclaris ingeniis, externarum regionum etiam vitia confluant: sive otium & æqualium convictus animos solvat, sive Adolescentum vita procul à parentum conspectu posita, quò longiùs abest à censura, eo fiat in deterius pronior. At ego Perusino Lyceo ex animo gratulor, quo nempe, hoc educationis litterariæ Alumno, nihil fuit non modò humanæ sapientiæ gloriâ clarius, sed cælestium virtutum, innocentiæ, concordiæ, probitatis exemplis ornatius. Aderat Aloisio, quod magnam apud æquales obtinet commendationem, mira morum suavitas & elegantia, forma ingenua & liberalis, sermo ad humanitatem excultus, & singulari quadam affabilitate conditus. Quibus rebus efficiebatur, ut quibus facilitate & officiis erat gratissimus, eosdem vitæ probatissimæ documentis ad sui similitudinem facilè alliceret.

Præ-

Præfertim cum Juvenis pietas non eſſet, qualem in multis cernimus, ſimulatâ ſpecie ſumpta ad obtentum, & tempori ſerviens ad hominum opinionem captandam; neque porro putidè ſubtriſtis & ruſtica, & quæ, fulgetri ſimilis, minatur dum lucet, ſed amabilis & ſincera, & quam imitari omnes vellent, nemo laudare non poſſet. Tam affluenter apud parentes jacta, tam feliciter Peruſino in ſolo efflorescentia virtutum ſemina, debebant aliquando Romæ ad ampliſſimam, cujus ſpem fecerant, laudum & honorum ſegetem matureſcere.

Et Aloiſii quidem ingenium Romę,tanquam Phidiæ ſignum, ſimul aſpectum ac probatum eſt. Dexteritas cum incorrupta integritate, humaniſſimi ſermonis urbanitas cum inculpato pudore conjuncta, conſpicui ſanguinis ſolidæque ſapientiæ præcepta jampridem opinio ſic omnes inceſſit, ut non minùs authoritate judicii admirationem exprimeret, quàm teſtimonio benevolentiæ omnium ſibi voluntates adjungeret. Nam optimi Viri æquabilitatem & moderationem, injurius illi fuero, ſi parciùs laudavero. Obibat officia diligenter, & in purpuratorum Patrum comitatu frequens aderat, non aſſentationi, quod vi-

viliſſimi Gnathones faciunt, ſordidè abjectèque ſerviens, ſed demerendæ eorum gratiæ, quorum ipſe authoritati atque judicio plurimùm tribuebat. Ea ſpecies veræ erectæque virtutis Innocentii Pontificis ejus nominis Decimi animum vehementer tetigit, permovitque, ut illum Apoſtolicæ, ut vocant, Cameræ Clericatu honeſtaret. Quod impertiti honoris graviſſimum teſtimonium eò ad Viri laudem prolixius fuit, quò latebat neminem, ab eo Principe proficiſci, qui in pernoſcenda æſtimandaque virtute ſolertiſſimus eſſet, & in mandandis honoribus accuratiſſimus. Ampliſſimo honoris gradu, eidemque annexis publicorum munerum Præfecturis tanta eſt laude perfunctus, ut non minor ipſi ex Magiſtratu, quàm ex ipſo Magiſtratui dignitas & ornamentum accreverit. Illum conſulere, illius privatam operam pene quotidie expetere, quotquot domeſticis maximiſque negotiis, aut dubiis cauſarum controverſiis implicabantur. Innocentius ipſe in curarum partem vocare, publicis multiſque muneribus præficere, ſuorum conſiliorum participem & adminiſtrum deligere. Cum verò de Caſtro recuperando agitaret, Homodeum cum primis retulit in virorum compertæ fidei, perſpicacitatis, at-

que

que prudentiæ Cœtum, quem, ut de re difficillima gravissimaque cognosceret, constituerat. Itaque de re multis cæteroqui ambagibus implexa seriò cogitationem suscepit, dummodo æquitatis candorisque sui studium enitesceret, non admodum reputans, quantum aut molestiarum devoraturus esset, aut offensionis & invidiæ subiturus. Ita autem cum ejus Judicii sociis egit, ut, cum calculo & suffragatione sua præclarè multa statuerentur, in alios omnem laudem transcriberet. Ea res vel maximè acceptum Pontifici gratumque reddidit; cujus gratia modestè habita majorem illi honorem peperit, eoque acriùs, ut primis Romanæ Ecclesiæ honoribus potiretur, publica studia incendebat.

Et civium quidem animos ea præcipuè laude sibi arctissimè obstrinxerat, quòd in usu rerũ judicialium, lites causasque forenses non solùm rectè & enucleatè, sed quàm maximè posset expeditè transigeret. Non, quæ sunt Fori artes, moram producere, distinere, circumagere, rem trahere, donec disceptatores, tanquam Sisyphi saxum volventes, longo sufflamine, tricis, & veteratoriis quandoque frustrationibus miserum in modum excruciati, perpetuarum cunctationum pertæsi, & immodico-

rum

rum ſumptuum incommodis affecti, ab incœpto deſiſtere, quàm ad iniquas conditiones adduci compellique malint. In dicenda autem ſententia, apertus animi & inturbidus, refugiebat amiculis & integumentis dicta involvere, & ambiguis reſponſis torquere judicia, ac moleſtiam faceſſere in deterius ſuſpicioſis. Omnes demum, ut erat impensè officioſus, paratiſſimè excipiebat; & licet de rebus leviſſimis ſæpius obtunderetur, neutiquam tamen à tranquillitatis ſede dejecto animo, benignas omnibus præbebat aures, ut nemo ſuſpicari poſſet, illi quantavis curarum mole diſtento, gravem aut odioſum interveniſſe.

Atque iis profectò cauſis nihil eſt demirandum, cum inter Vaticani Senatores ab Innocentio Pontifice adlectus eſt, ſumma in illum ſtudia hominum exarſiſſe, ſublatoſque ubique plauſus, inuſitato quodam ſenſu, ac veluti fremitu impotentiâque lętitiæ. Geſtiebant in maxima celebritate & luce verſari, quem ſcirent optimum innocentię patronum, fortiſſimum juſtitiæ vindicem, cuſtodem integerrimum honeſtatis. Neque enim opinione ſolùm virtutem complexum, ſed ſtabili quadam perpetuitate & conſtantia ſic inſtitutum, ut, cum intimè noſceret quid deceret, nihil

ab

ab ea mentis inductione ejusdem mores & vita discreparent. Quare vox erat una Civitatis Homodeum omnibus absolutissimæ virtutis præsidiis ad illud fastigium evectum, magnumque Purpuram non tam fecisse, quàm invenisse. Et hæc sanè de viro Optimo non assentatore & aulico lenocinio, sed verissimè prædicabantur. Quid enim? Num post illam dignitatis accessionem quidquam putatis pristinæ humanitati decessisse? Num illi superbia, agnatum magnis mentibus vitium, sui quidquam fumi & caliginis affudit? Num cœpit proinde publicis curis remissiùs affici? Imo verò nullam molestiam subterfugere, nullum recusare onus, laborem nullum declinare, quin eò obnixiùs gravissimis muneribus operam addiceret. Elationem certè animi omnem, tum quadam severitate judicii, tum suopte ingenio in diversum actus, fastidiebat: nam arrogantiam, & fastuosam vultus asperitatem etiam in benefactis odium gignere, certum habebat. Scio, nihil esse tam sanctum & intemeratum, quod lividæ censuræ aleam non subeat, ab iis præsertim, qui quorum laudes imitari negligunt, eorum famam festinant incessere, eò infestiores alienis virtutibus, quò impensiùs amant vitia sua. Observatum tamen est

eſt & diligenter animadverſum à multis, hujuſmodi obtrectatores in Homodei vita vix quidquam, ut Momus ille ſandalium Veneris, habuiſſe quod carperent. Id apertiùs innotuit in interregni decurſibus, quando licentiùs optimos quoſque ſolet maledicentia impetere in Civitate, ut ajebat ille, omnium gnara & nihil reticente; ſi dixiſſet multorum inventricem, probaſſem magis viri judicium.

At enimvero inter omnes Aloiſii virtutes, quę pulcherrimum, in modum Gratiarum, circumducebant chorum, palam eſt ſingulari laude eluxiſſe liberalitatem cum pietate ac Religione conjunctam. Pulcherrima ſanè eſt Chriſtianæ liberalitatis conditio, ad honeſtos pioſque uſus divitias convertere, quas alii ad illecebram & invitamentum laxioris vitæ detorquent, alii ad alenda vitia quaſi pabulum congerunt. Nam qui laborioſè partas & abundanter coacervatas ſordidè cuſtodiunt, & pecuniâ, ut pueri calculis, ad numerandum ſolùm utuntur, eos argutè ſimul & verè ſolis digitis opulentos neſcio quis apud Lucianum nominavit. Jamvero Aloiſii de omnibus largiter benemerendi ſtudium ſic excelluit, ut ad hujus exempla laudis non exornanda prolixiùs, ſed ſummatim recenſenda, cuivis quamlibet

libet copioso & exercitato sit oratio defutura. Nihil profectò de ejus liberalitate atque magnificentia dici potest, quin facta omnes omnium voces exuperent. Semper foras ejus clementia spectabat, semper velut ex alto prospiciebat, ut ingenuas familias fortunis suis ejectas erigeret; ut Puellas, vulgandæ pudicitiæ periculo exemptas, honestis matrimoniis collocaret; ut non obscuro loco natos præclaræ indolis adolescentes, per angustiam rei familiaris degeneri solutos otio, literis excolendos traderet; ut Religiosorum hominum cœtus, honestissimas fœminas, eruditione præstantes viros, ab extremæ egestatis sordibus vindicaret. Nunquam illum fovendæ virtutis studium, nunquam voluntas juvandi destituit. Aderat verò beneficiis affluenter collatis frons lætissima, & ea benignitas vultus, quo non solùm eadem non exprobraret aut repeteret, sed omnem aditum obstrueret redituris. Equidem si de singulis dicere pergerem, qui ad hujus beneficentiam, tanquam ad portum, ab iniquioris fortunæ estu se receperunt, tempus me quàm res longè maturiùs desereret. Instar omnium fuerit, quod omnium ferit oculos, animosque in admirationem rapit, Sancti Caroli Borromei Cardinalis

lis & Antiſtitis Mediolanenſis in via Flaminia Templum,ad ſummum ſplendorem incredibili auri profuſione perductum. Ornatiſſima Ædes, concinna deſcriptione dimenſa, largo conſperſa lumine, triplici teſtudinato fornice, Sacellis aptè exſinuatis, editiſſimo ad oculorum conjectum librato tholo, adeuntium animos vi quadam ſubita ad colendam ſupremi Numinis excitat majeſtatem. Quid dicam Spartano, Punico, Lucullæo marmore conveſtitas aras? quid auro illito collucentes arcus? quid abſidem, tholum, & teſtudinum connexus picturâ elegantiſſimâ illuminatos? Frons ipſa Templi, quâ Tiburtino inducto marmore, quâ mundiſſimo fulgens tectorio præaltas Columnas Corinthiis epiſtiliis ornatas exhibet. Ad Urbis nitorem, & viæ Flaminiæ magnificentiam exporrecta eſt latiùs area, & ad Templi latera geminæ æquali ſtructura adnexæ Ædes, quæ ſacros Miniſtros, & Romam Mediolano peregrè adventantes recipiant; ad eos alendos detinendoſque annuis proventibus affatim conſtitutis. Ad tantam, tamque præclaram univerſi operis molitionem, res eſt compertiſſima, Homodeum ſeptuaginta aureorum millia & eo amplius erogaſſe. O religioſam Principis optimi magnifi-

gnificentiam! O ſtudium Religionis ſplendidum, regaliterque magnificum! Quantam etenim liberalitatis eſſe commendationem neceſſe eſt, cum optimi rerum Conditoris, Deiparæ Virginis, & reliquorum Cælitum cultui gloriæque ſe mancipat, ſi ſua eidem laus & pretium non perit; cum privata aut publica humanis uſibus erigit Domicilia; cum ad oculorum defatigationem continentes cubiculorum decurſus in æſtiva & verna conclavia dividit cum periſtyliis, proceſtriis, & menianis, latiſſima includit & exornat atria; cum ampliſſimè Synandriones extendit, receſſu intimo obſtruit Parthenones; cum Muſivi operis emblematis & aſarotis pavimenta diſtinguit; cum etiam de corte, de ſtabulo, de ſuggrundiis & ſtillicidio ſolicita, ſingula operosè expolit ad nitorem, nobilitat opulenter ad pompam, ſolidiſſimè firmat ad ęternitatem. Quantum aſſequatur laudis magnificentia, amplificandę Religionis & ſublevandę Fidelium inopię unicè ſtudioſa, ſi pręcones eidem & admiratores non deſunt, cum opes ſuas non tam effundit quàm perdit, ut Circos, Amphitheatra, Porticus, Palęſtras, Curricula extruat; qualia apud Periandrum viſa laudaſſe dicitur Thales, non tam quòd illa probaret, quàm

ne faſtidire videretur Tyranni opes atque lautitias. Hoc nimirum eſt, magnas divitias largiendo maximas facere. Multò hoc eſt luculentius, quàm aulęis pictis, & textilibus ſtragulis exſaturandis, tortile vexare aurum. Longè hoc ſplendidius, quàm popinas Saliares, Alexandrinas, & Sybariticas menſas inſtruere, cum longa ferculorum ſerie, cum ſciſſorum & pręguſtatorum agmine; ut prętercam hic moriones, planos, mimos, pumiliones, Aularum, ut vocant delicias; portenta, labes, & dehoneſtamenta veriùs dicerent.

Neque verò Homodei liberalitas ſe Romę tantùm, ubi publicis atterebatur curis, continuit. Tuſculanam etiam Urbem locupletavit, quò animi gratiâ per Autumnales ferias concedebat. Quos autem hìc, Auditores, ejus magnificentię fructus expectatis? Ædeſne ad ruſticandum quadrato extructas lapide, diętas maculoſo lucentes marmore, ambulacra picturis varia, ſolaria, hypetra, inambulationes ſubdiales platanonibus inumbratas? Num buxo myrtoque marginata, & tonſilibus opaca fruticetis Xiſta mente concipitis? Num complicatis, & in gyrum aptè decidentibus ramis arborum, obvoluta conopea? num labyrinthos, topiaria, piſcinulas me-

meditamini? Num demum fontes cogitatis, vel erratico ſequacium arbuſcularum illapſu protectos, & propiùs ad naturæ ingenium è vivo manantes pumice, vel imbricatis teſtulis exornatos, cum Atlantibus & Telamonibus ad arcuum latera, cum Tritonum buccinis, Hippodelphinis, & Nympharum agmine, repandis conchis invecto? At enim apage hinc Adonios hortulos: omnis Phæacum mollities procul faceſſat. Non virilem modò liberalitatem, ſed perpetuo quodam fœdere pietati nexam, Religioni, quemadmodum dixi, deſponſam ſuſpicimus, extollimus, prædicamus. Ad veteris Tuſculi latus, Boreæ flatibus oppoſitum, ubi jugi aſperitas in planitiem molliter pateſcit, Templum Sancto Romualdo, Eremicolarum Inſtitutori ſanctiſſimo, ſacrum erigitur. Cœnobitarum ædiculæ, certis intervallis diſcretæ, eidem adjacent. Verenda loci facies, ſupellectilis ſacræ mundities, ſolitudo, ſilentium, Religionis ergo illuc ventitantibus tenerrimos pietatis ingerunt ſenſus. In hoc Sanctuarium à publicis curis ad honeſtam laxationem receptus Homodeo erat. Hìc illi nova adaperta ſunt, quæ decurreret, ſpatia liberalitatis. Etenim, ut prætercam perturbatas ſacræ illius Familiæ domeſticas

rationes ab Aloiſio reſtitutas, collabentis ædificii partem redintegratam, victui & quotidianis ejuſdem uſibus perennitèr ſubminiſtratam pecuniam; rationem inſuper iniit, quemadmodum in poſterum etiam univerſi Conventus ſecuritati commodiſque proſpiceret. Anguſta Aſcetarum cubicula, pro ejus inſtituti hominum conſuetudine, nemus tanquam ad cuſtodiam obibat undique. Sed rubis & ſilveſtri frutice conſitum ſepimentum perrumpebant facilè fures & viatores, cum aſſiduo non rei ſolùm, ſed quietis, quâ potiſſimùm illa Sacra conſtant, intertrimento. Itaque Homodeus laxiorem ſilvam, & multis locis glareoſi ſoli tenacitate ad inædificandum difficilem, perpetuâ lateritii muri coronâ concluſit; & ſtabili munimento beatiſſimum Religioſorum hominum otium aſſeruit. Tam prolixæ liberalitati referebant illi vices convictu & alloquio ſuaviſſimo, quo Princeps humaniſſimus præter modum lætabatur. Cum iis totos dies agere, Pſalmodiæ intereſſe, cibum ſumere, ac piis ſermonibus, cujuſmodi epularum nulla illi ſatietas, menſam condire. Has ille agebat ferias. Sic animum urbanis negotiis ſubductum reficiebat. Memini legere, Scipionem Africanum, cum publicæ invi-

diæ

diæ cederet, apud Linternum Campaniæ vicum, villam ad arcis munitiſſimæ ſpeciem extruxiſſe. Vallis, turribus, propugnaculis, ipſas delicias feroces fecerat; ut pateret, non Lucullum aliquem aut Apicium, ſed everſorem Carthaginis ruſticari. O Annibalem feliciſſimum, ſi ex Scipione, quemadmodum bellandi artem diſcere neceſſe non habuit, ſic otia didiciſſet. Quid autem ad eam Africani laudem Homodei pietas, religio, liberalitas, vel dum ruri degens, agrorum amęnitate, & Cæli liberioris hauſtu, rerum publicarum procuratione contractum animum explicaret? Et his quidem virtutum adminiculis probè ſuffultus, ingraveſcente jam ætate, ad finem vitæ mortalis perductus eſt; cum antea, ratione totius anteactæ vitæ à ſe diligenter repetita, noxarum confeſſione expiaſſet animum, & extremis Chriſtianæ Religionis ſubſidiis ad capeſſendam æternitatis viam muniviſſet. Nolite hic, Patres, expectare, ut, quantum detrimenti ex ejus interitu reſpublica acceperit, largè commemorans, non adhuc obductam veſtri vulneris cicatricem inclementi manu reſcindam. Dolendum equidem huic Civitati, tam inſigni tamque conſpicuo ſublato lumine. Dolendum Optimo Pontifici, qui tam

duris temporibus, tanta fide atque ſapientia præditum Conſiliarium amiſerit. Vobis præſertim dolendum, non tam Patrono, quam Parente, & amantiſſimo amplificatore veſtræ dignitatis adempto, qui & Familiam veſtram tot annos patrocinio tutatus eſt, & opinione veſtræ virtutis atque ſapientiæ, vos graviſſimis curis, & conſilis ſuis regendis adhibuit. Verùm ut nihil antiquius habere debetis, quàm ut ejus memoriam ſanctè tueamini, ſic vos ejus laudum reputatione componere par eſt veſtros animos, vultuſque mœſtitia prægravatos erigere. Quid enim illius ſorte invidendum magis, qui perpetuo innocentiæ atque pietatis ſtudio tam ſedulò ſe ad vitæ exitum comparavit, ut quod ſemel neceſſarium eſt, ſemper illi eſſet tempeſtivum; ipſam verò vitam in anguſtos terminos naturæ neceſſitate coactam, præclarè factis ad immenſam futuri temporis longinquitatem produceret?

ORA-



ORATIO VIII.

IN FUNERE

DOMINICI PUTEOBONELLI

Ordinis Prædicatorum, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtri.

Habita in ejuſdem Ordinis Templo Deiparæ Virginis ſupra Minervam.



Peciosè juxta verèque à Platone dictum accepimus, eam eſſe virtutis pulchritudinem, ut, ſi exhibere ſe ſpectandam mortalibus, ſuique copiam facere poſſet, incredibilem in modum omnium animos ſui admiratione defigeret. Quis enim non illico ſe ad illam lucem con-

verteret? Quis ab illa formæ dignitate, nitore, elegantiâ non jucundissimè caperetur? Sed quoniam longè aliam liquet esse Virtutis speciem, atque illam legimus à Xenophonte descriptam, Matronam procero corpore, honesta facie, verecunda fronte, regali habitu incessuque; eam ob causam perpaucos illa laudum suarum præcones, vix ullos nanciscitur amatores. Cælestis ipsa cælestes hominum animos, immortalis ipsa immortales colit; intus habitat; ibi regnum obtinet; ibi occultè explicat humanæ avaritiæ ignotas opes. Factum tamen ad rem nostram est sanè percommodè, ut quæ, ab omni corporum admistione sejuncta, nativi decoris lumen nequit ingerere, in summę pręstantię viris vivas quasdam sui imagines spirantesque substituat, quibus & studia nostra sibi demereatur, & nostras ad illorum imitationem mentes inflammet. Intellexerunt hoc, ut hujus generis multa, Poetæ: qui in Achille non tam egregium bellatorem, quàm fortitudinem ipsam, in Nestore non tam omnis divini humanique juris consultissimum senem, quàm ipsam prudentiam, in Ænea non tam Ducem impensè pium, quàm ipsos veræ pietatis vultus adumbrandos sibi proposuerunt. Quapropter agite, Patres amplissimi.

Est

Eſt quo aliquam in hoc mœſtiſſimo munere à vobis gratiam ineam. Eſt quo erigatis animos, & fortibus ſolatiis ægritudinem veſtram leniatis. Aptiſſimam dolori veſtro allevationem exhibeo. Quam autem, niſi vivis expreſſam coloribus imaginem veræ virtutis atque ſapientiæ in Dominico Puteobonello, Familiæ veſtræ fulgentiſſimo lumine? Religioſiſſimum Virum licet in cæleſtem patriam præmiſſum potius quàm amiſſum, adhuc tamen graviter moleſtèque ferimus oculis eripi amantiſſimæ Civitatis. Neque verò aliter acerbiſſimo caſu perculſum veſtrum Ordinem ſentio, ac matrem illam Gracchorum Corneliam, florentiſſimis filiis per civilium diſcordiarum æſtus amiſſis. Conſtans verò illius in me perpetuæ benevolentiæ ſignificatio facit, ut cujus collaudandi finem nullum facere deberem, de eodem ſine lacrimis & mœrore cogitare vix poſſim. Quamvis autem ab omnibus meditandi ſcribendique ſubſidiis imparato triſtis hæc mihi præter omnem expectationem neceſſitas ingruerit, neutiquam tamen tenuitas noſtra religioſiſſimi Viri gloriæ officiet. Omni verborum delectu nobilius illi pręconium facta contexunt. Habent illa vocem non languentem & evanidam, ſed ſolidam validamque, & cui

Thea-

Theatrum non intra hos parietes circumſcribitur, ſed in omnium animos, apud quos aliquo eſt in pretio vera præſtanſque virtus, latiſſimè extenditur.

Gentis Puteobonellę natale ſolum Savona eſt, Liguriæ Oppidum in primis illuſtre, & mari proximum. Loci opportunitas externis mercibus lætam, admirandi operis munitiones tutam ab hoſtibus præſtant. Anguſtias agri, quem hinc mare, hinc Appenninus protendi prohibent, civium gloria amplificat. Duo illa edidit Vaticani lumina, Julium II. & Siſtum IV. Pontifices Maximos, qui rem Romanam, & Summi Sacerdotii Imperium naviter ampliſſimèque illuſtrarunt. Urbem nec murorum ambitu, nec incolarum frequentiâ admodū amplam æſtimantibus prodigii ſimile fuerit virorum numerus, domi militięque illuſtrium, quorum alii aliis gloriæ facem, ut lampadem olim in circo certantes, per manus tradiderunt. Nulla Civitas in genus mortalium beneficia congerens longiores manus habuit. Dubitatis? Americanum Orbem interrogate; Savonę debet, quòd notus eſt. Nimirum ea ex Urbe, tanquam ex nido, albis vere fauſtiſque avibus evolavit, aquilas omnes tranſgreſſus, Columbus ille, qui dimidia ſui parte latentem naturæ

fa-

faciem rem publicam fecit. Itaque tanti viri memoria non marmore, aut æneis ſimulacris, quæ extrema eſt reliquorum ambitio, ſed donec opulentiſſima ſteterint regna, donec vaſtiſſimæ provinciæ nobis ſervient, perennabit. Verùm popularis ſui nomen decuſque eò magis antecellit Dominici gloria, quò nobilius eſt, orbem implere virtutibus, quàm detegere. Generis claritas, quæ totam in pleriſque laudationis ſeriem ſolet conficere, in egregio hujus Viri laudum comitatu, acceſſionis & parergi inſtar habuit. Faceſſat hinc vanus ille, ſolidæque virtutis robore deſtitutus ſplendor nobilitatis, nihil plerumque diſſimilis pompæ Cenotaphiorum, quæ intus inania, præclara nomina, vetuſtas ceras, illuſtres teſſeras foris oſtentant. Minimum in Dominici cenſu fortuna negotii habet: ſuis ille opibus dives, relegato titulorum ſtrepitu, rejectis ambitionis phaleris, æſtimandus eſt. Quamvis cognatione & propinquitate Riarios aliaſque Familias perilluſtres attingeret, quamvis ab ipſo Julio II., de Sacro Vaticani Imperio præclariſſimè merito Pontifice, partem aliquam nobiliſſimi ſanguinis traheret, adhuc ſapientiæ & virtutum ornamentis effecit, ut longè ſplendidiora eſſent monumenta laudum, quæ in ſuam

ipſa

ipſe gentem intulit, quam quæ ampliſſimè ab eximiis Majorum geſtis acceperat.

Neſcio qua vi ſiniſtra contingat (contingit autem ſæpiſſime) ut Majorum gloria Nepotes inertes faciat; nec parentum decora exaggerare virtutibus poſteri degeneres admodum ſatagant, ſed potiùs vel ſub eorum præclarè geſtis tanquam ſub umbra acquieſcere, vel quidquid inde ſecundæ exiſtimationis partum eſt, per ſocordiam luxumque decoquere. At enimvero Dominicus, vix faſciolis & cunarum crepundiis abdicatis, mira indolis maturitate vitæ mortalis curſum eſt auſpicatus: ingenitique à natura ignes ad bonam frugem in primula ætate ſic eluxerunt, ut quò minor ætas aderat, eò gratior obveniret ubertas. Non eſt in parentum manu quales naſcamur: eorum tamen & inſtitutorum eſt poteſtatis, quales efficiamur. Abunde multa de Republica adminiſtranda Platonem ſcripſiſſe nemo unus ignorat: ipſe tamen nunquam attigit magiſtratum. Sciſcitanti cuidam quam ob rem id ageret, Quoniam, inquit, utilius eſt Civitati multos inſtituere Cives idoneos, proboſque Senatores, quàm Rempublicam regere. Pręclarè etiam Eteocles, cum Spartæ Ephorum ageret, Antipatro poſt victoriam poſtulanti pueros ob-

obſides quinquaginta, nullis minis adduci potuit, ut conditionem patriæ gravem & detrimentoſam futuram acciperet: duplo potiùs numero ſe viros daturum; nam pueros, ſi externis moribus molliter educari contingat, ſeveriorem Lacedæmonum diſciplinam poſtea non laturos. Et id quidem in iis, quibus eſt vis mentis alacrior, magis cavendum. Præclara ingenia, utramlibet vergant in partem, magnam vim afferunt. Civitatum Conditores optimi, improbique everſores eximio plerumque animo, minimèque vulgari juxta fuere. Magni refert quò magna indoles impetum flectat, perinde ut plurimùm annonæ intereſt, quo pacto ingens vaporum copia nubibus collecta ſolvatur; quæ ſi attemperatè in imbrem decidat, magnam fertilitatem, ſi effusè torqueatur in grandinem, perniciem ſummam apportat. Ab ea cura pios cæteroqui & induſtrios Dominici parentes Pueri indoles abſolvebat. Majoribus aſſurgere, iiſque in omnibus ſe preſtare morigerum, nihil contentiosè, nihil per iracundiam agere, naturâ priùs, quàm diſciplinâ perdidicit. Suopte ingenio ad omnia pronus pietatis officia, ac Cælitum Reginę tenerrimo quodam ſtudio addictus, in ædium receſſu depictam ejus imaginem colere, floſcu-

culis atque tæniolis exornare instititit; sæpiuscule interdiu ante illam procumbere, dissolvi fletibus, suspiriis amanter incendi. Eidem verò non modò quotidianum supplicationis pensum ad calculos coronarios persolvebat; sed, cum sacris consuetisque precibus præfixum tempus appeteret, ultro occupabat parentes adire, solicitum impulsorem cum illis agere, modestè fratres ad cœtum celebrandum, domesticos naviter cogere. Ea res parentes advertit, ut Pueri ardorem illum in magnæ olim virtutis præsagitionem acciperent, tantæque suavitatem indolis insatiabiliter exoscularentur.

Ex horum imperio, ne mentis erectæ vigor per otium hebesceret, in Præceptorum doctrinâ & virtute præstantium disciplinam traditus, incredibili discendi proficiendique alacritate ad Literas accessit. Equidem apparuit non soli canitudini comitem adjungi Sapientiam. Ut enim acri ingenio, probèque à natura ad intelligendum comparato utebatur, minimo negotio tam feliciter in iis studiis, quibus animi ad humanitatem expoliuntur, processit, ut non solùm æquales suos facilè antecelleret, sed magistrorum expectationem, & ipsa parentum vota præverteret. U-

trum verò magnitudine ingenii, an elegantiâ modestissimæ indolis, omnium, quibuscum ageret, animos vehementiùs attraheret, haud facilè discerneres. Novis certè doctrinæ incrementis in dies adolescens Pueri virtus, mira naturæ festivitate condita, nulli incidebat in oculos, quin simul in animum illaberetur. Præcipua discentis cura, quæ à Præceptoribus audiret, non in aurem solùm, sed in animum altè demittere. Illustria in primis Sapientum dicta memoriæ tradere, quibus ad vitam piè sanctèque informandam proficeret. Eas cordi intimo tabulas inviolabiles figere, ea integritatis amuleta seriò versare, ut se fortiùs muniret adversus vitiorum contagem, quæ herbescenti ætati quò blandiùs obrepunt, eò tenaciùs inolescunt. Meritò siquidem quantamlibet in literis progressionem non inutilem dumtaxat, verùm etiam injucundam putabat, si eâ causâ remissiùs aut pietatem coleret, aut innocentiam tueretur. Quàm prolixo autem pietatis studio flagrasse existimem integerrimum Puerum, qui nullam vitæ partem se beatiùs transigere prędicabat, quàm cum vel sacrificanti interesset, vel animi maculas ingenua confessione detergeret, vel cælestis mensæ Pabulo reficeretur. Ullamne sibi diu-

diuturnam vel cum leviſſimis labeculis aut pacem aut conſuetudinem intercedere pateretur, qui, ſicubi à legis divinæ præſcriptionibus vel latum unguem deflexiſſet, ſubductis quotidie calculis ſeverè inquirebat: qui parentes, adlectoſque ſibi monitores viros graviſſimos crebrò adibat, inſtabat precibus, non ſine lacrimis obteſtabatur, ut in ſuæ vitæ lapſus animadvertendo vindicandoque ſtrenuè agerent, minimùm aut pudori fortaſſe ſuo aut ætati parcerent, nihilque vellent prætermiſſum, quo melior fieri ab iis poſſet, quos opitulari ſibi maximè omnium & poſſe & debere intelligeret. Qui tam rigidum morum ſuorum cenſorem ſe gerebat ac vindicem, eum facile eſt judicare, quàm accuratè eorum ſocietatem refugeret, qui aut aliorum candori labem aſpergere, aut alienam virtutem mordacibus cavillis infeſtare, partem ſcilicet urbanitatis ducunt. O invidendam educationem! O lubricæ ætatis flexum præclarè inſtitutum!

Jampridem Dominici animus, fallaces inſidioſæ voluptatis illecebras pertæſus, omnique fortunæ cenſu major, mortalia ſenſim faſtidire, fluxarumque rerum inanitatem pro nihilo habere cœperat. Nullam in corporis ob-

le-

lectamentis ſinceram jucunditatem, in divitiarum copia nihil ſolidi, in laborioſa ambitionis indagine nihil bonæ fidei ineſſe didicerat. Preterea honeſtiſſimus in patria locus, amplæ domi opes, ingenii tum mira ſuavitas, tum excellentia ſingularis, quæ ſanctioris vitę conſilia remorari ſolent, ut indulgentiſſimo ejuſmodi bonorum diſpenſatori Deo arctioribus vinculis ſe adſtringeret, generoſam indolem acriùs incitabant. Quod ſi res ſuas propriis, ut moris eſt, emolumentis, & ad privati compendii libellam metiri vellet, nihil ſuis rationibus quęſtuoſiùs fore ſtatuebat, quàm ut, quæ liberaliter à Deo acceperat fortunæ naturæque beneficia, eadem virili contemptu abdicando non tam amitteret, quâm pretioſiora faceret. Hæc reputanti minimùm deliberandum fuit, ad quæ ſe potiſſimùm caſtra reciperet. Cum etenim, conſpicuæ ſapientiæ & ſingularis opinione virtutis, veſtræ, ampliſſimi Patres, Familiæ plurimùm tribueret, ad veſtram teſſeram & lectiſſima ſigna pleno gradu ſummaque animi contentione convolavit. Non erat neſcius, nullas eſſe objectu interminati maris tam remotas disjunctaſque terras, nullas ab hominum commercio omnique humanitate tam alienas nationes, quò non

ſpectatiſſimi hujus Cœtus rerum geſtarum fama pervaſerit, cæleſtis doctrinæ lumen affulſerit, magnique impenſi labores nomen fructuſque veræ Religionis intulerint. Non ignorabat, eximia ſanctitate viros, Cælitum faſtis adſcriptos, erectis ubique opulentiſſimis aris templiſque, honoribus Deo proximis impertiri. Apud vos verò exortum lucidiſſimum illum doctrinæ Solem ad diſſipandas errorum tenebras, veritatis radios latè diffundere. Callebat optimè eam hujus eſſe Familiæ amplitudinem, ut nobiliſſimis Civitatibus innumeros dederit Sacrorum Præſides, Paſtoreſque vigilantiſſimos, Patrum purpuratorum Ordinem ſummę præſtantiæ Senatoribus peramplè auxerit, ipſamque Pontificiæ majeſtatis ſedem atque faſtigium iis viris occupaverit, qui vel admirabili ſanctimoniæ luce cæleſtes in terris honores obtinuerunt, vel clariſſimorum operum magnitudine & copia ampliſſimè ſunt de re Chriſtiana Romanaque Religione promeriti. Quò autem me veſtrorum, Patres, decorum fulgor abripuit? Video laudationem hanc veſtram, æquiſſimam illam quidem, imo longè à veſtrarum virtutum dignitate diſtantem, ſuſceptæ à me Dominici Puteobonelli coornandi cauſæ obeſſe plurimùm.

mùm. Quid enim? Cum talis ac tanta ſit veſtri Ordinis dignitas, cum in tanta ubique gentium luce verſetur, in eundem cooptatum juvenem alioquin undequaque ſpectabilem, aut obſcurè deliteſcere, aut in aliquo vix eſſe numero, ut de illo magnificè ſentiam, neceſſe eſt. Inſignis univerſi Cœtus claritudo privatam unius gloriam obruet; nec ſanè poterit in veſtro hoc ſplendidiſſimo, ut ita dicam, Cæli orbe, facis recenter additæ jubar excellere. Itane verò? At ego hoc ipſum dedito ſtudio requirebam, ut in arctiſſimum, quemadmodum videtur, locum devecta oratio elatiùs, clariùſque ad inuſitatam Dominici laudem emergeret. Enimverò cum in hunc doctiſſimorum hominum Conventum innumera confluant ornamenta; cum ea ſit ſanctiſſimæ hujus diſciplinæ temperatio, ut eidem infinitum quiddam bonæ artes, Urbium felicitas, Religio, ſaluſque publica debere ſe fateantur, quantam, amabo vos, oportuit virtutis exſuperantiam eſſe, quantam doctrinæ, integritatis, prudentię, laudumque cæterarum complexionem nexumque mirabilem, quarum præſidio Puteobonelli dignitas & authoritas inſigniter prolixèque potuit, vel ubi omnes eminent, eminere? Ea eſt Oceani vaſtitas; ut

ingentium aquarum fluvios nec abſcedentes ſentiat, nec remigrantes. Scilicet vel magna negligit quod eſt maximum; & inhexauſtæ opulentię laus eſt, ignorare opes ſuas. Nihil arbitror me à recto rerum judicio & re ipſa diſcedere, ſi veſtram, Patres, Societatem Oceano, ut molis laxitate, ſic varietatę illuſtrium titulorum, verarumque divitiarum copiâ ęquaverim. In hunc quippe Ordinem ſupremi Numinis indulgentia tot decorum honeſtamenta concluſit, ut profuſiſſima eorum largitas in omnes redundet, & in immenſos fructus uſuſque publicę felicitatis exuberet. Et quemadmodum flumina, novo quodam tributi genere, Oceano mancipant nomina ipſa quę perdunt, non aliter ſublimia quantumvis ingenia, ubi in hos ampliſſimos ſinus fluxere, veluti in quadam pelagi infinitate, non modò quæ advexere diſperdi, ſed ſua reticeri nomina, ſui memoriam extingui manifeſtò clarèque percipiunt. Quæ cum ita ſint, per quantam, iterum rogo vos, virtutis ingeniique granditatem Puteobonellus obtinuit, ut in tali tantoque Cętu, non dicam noſci, quod non exiguæ eſſet laudis, non probari, quod eſſet ad dignitatem ſatis, non commendari, quo nihil eſſet ad gloriam plauſibile magis & ſplen-

ſplendidum, ſed excellere etiam oſtentarique potuerit?

Vos ego, Patres, vos pręcipuè, egregii Ordinis Moderatores, teſtes appello. Vos in ſolenni Academiarum celebritate ſacris illum literis publicè tradendis præfeciſtis. Vos exploratæ ejus fidei illuſtrium Cœnobiorum gubernacula commiſiſtis. Veſtris de ſingulari ejus virtute atque ſapientia edocti conſiliis Summi Pontifices ad eos honorum gradus pręſtantiſſimum virum extulerunt, quos Familiæ veſtræ ab Apoſtolica Sede liberaliter addictos atque deſponſos, eximię, qua polletis, pietatis atque doctrinæ apud omnes teſtimonia, ſumma cum laude retinetis. Neque enim eas dignitates aut magnarum neceſſitudinum adminiculis, aut ex aulico ingenio fideque, prenſando aſſentandoque eſt conſecutus, ſed vitæ probatiſſimæ exemplis, & diuturno, quod eſt unicum virtutis alimentum, ſudore parta opinione ſapientiæ. Ut enim primùm, divino concitatus afflatu, ab infelicibus ambitionis humanæ ſtipendiis ad Chriſti ſe vexilla traduxit, diſciplinarum ſtudia tam celeriter ſerioque arripuit, ut nihil eum fugeret quod eſſet perceptione dignum, & in quo collocandum ſibi laborem eſſe ſtatueret. Ad inti-

ma igitur doctrinarum adyta, sacrosque Theologię fontes hauriendos admissus, tantùm illico profecit, quantùm potuit is, qui peracrę judicium, erectum ingenium, inexplebilem cupiditatem ad exquisitissimam optimarum artium cognitionem attulerat. Non occultis & fallentibus incrementis, quemadmodum procerę arbores adolescunt, sed magno contentoque gradu ad omnem humanarum divinarumque rerum intelligentiam provehebatur in dies: earumque haustu non leviter, quod plerique faciunt, summa labra tingebat, sed cyathis, ut ajunt, coronatis cupidissimum animum recreabat. Florentisśimis Italiæ Civitatibus meritò me gratulari licet, apud quas implexa naturæ arcana divinasque literas confertisśimâ est Auditorum frequentiâ & omnium admiratione interpretatus. Debuit profectò qui jamdiu se in domestico pulvere athleta exercuerat, in illa quasi celebritate Olympiorum pentathli coronâ, plaususque ex omnibus edito spectaculis insigniri.

Non illi subaustera & aspera erat sapientia, nec verò gloriæ affectandæ & colligendis rumusculis ambitiosè venalis. Verendam illam exhibebat & gravem, nativo, non ascito spectandam ornatu, sic demum temperatam, ut

nec

nec ambitionem fugitans negligentiam pareret, nec ſtudioſa dignitatis quidquam de humanitatis laude decerperet. Levitatem certè, ineptias, fucum, ſcurrilitatem oderat quàm maximè, graviſſimi Solonis effati memor, vetantis in foro fieri rem divinam. Aderat, qua nulla gratior Sapientię comes, innocentia morum, probitas inculpata, pudor ingenuus, mirumque alienæ ſalutis procurandæ ſtudium, quo fiebat, ut nunquam ad eum quiſquam accederet, qui non ad vitam ſanctè inſtituendam incenſus paratiorque recederet. A jucundiſsimo literarum otio ad illuſtris Cœnobii regimen capeſſendum utilitatis publicæ ratio, & Moderatorum imperium nihil minùs cogitantem abſtraxit. Non eſt, quòd collati honoris prærogativâ inſolenter elatum ſuſpicemini, quem conſtat nihil in vita tuliſſe moleſtiùs. Quid autem obſiſtendo retinendoque apud eos proficeret, qui ſcirent Magiſtratum refugientes digniſsimos eſſe qui præſint. Tam gravato præſidere aliis animo cœpit, quam hilari & expedito obtemperare didicerat. Cæterùm procurationem, ad quam invitus acceſſit, ea cum laude geſſit, ut novo inde documento fidem invenerit Ageſilai dictum feliciſſimam affirmantis fore

rempublicam, quæ à nolentibus gubernaretur.

Non ſine cauſa divini Plato vir ingenii Muſicam ad morum correctionem, ſtatumque Civitatis componendum arbitratus eſt magnopere pertinere. Dorici quippe modi inflatos caſtigant animos; Phrygii jacentes extollunt; Æolici perturbationum tranquillant æſtus; Lydii obtuſas mentes exacuunt, & caducarum rerum deſideratione prægravatas ad cæleſtium appetentiam erigunt. Appoſitè idcirco Principem Reipublicæ Phonaſcum dixerim: cujus nempe ſunt partes, eos modos non in voce aut cantu, ſed in civium animis temperare, ex quibus ad certam legem compoſitis jucundiſſimus ille oritur concentus præclarè conſtitutæ ordinatæque Civitatis. Ejus pulchritudinem ordinis in Religioſorum cœtu, qui Puteobonello ſuberant,& agnoſcebat omnes & prędicabant. Etenim cum ejus vita ex ſanctiſſimi Inſtitutoris Dominici norma & præceptis videretur eſſe deſcripta, exemplo, optimo imperandi genere,in ſe intuentes extimulabat. O conventum hominum feliciſſimũ! ubi ad omnem amplectendam honeſtatis partem non tam audiebantur imperia, quàm videbantur. Univerſi profectò domicilii exiſtimatio-

mationi usque adeo Moderatoris virtus suffragata est, ut quanta hujus esset præstantia, tantum illius dignitas honorque nitesceret.

Verùm enimverò intra privatæ Præfecturę septa concludi tantam virtutem, æquum non erat. Ad publicæ securitatis custodiam, ipsosque Catholicæ Religionis fines tutandos ab angustiis illis divellitur. Ac primò quidem causarum ad Orthodoxam fidem spectantium Commissarii, ut vocant, Socius & Coadjutor adlectus, tum inde earundem Quæsitor Placentiæ renunciatus, usque adeo vigilis impigræque operæ sedulitatem Alexandro VII. Pontifici Maximo probavit, ut illum haud ita multò post generalem causarum Fidei Commissarium creaverit. Quo quidem Alexandri judicio nihil arbitror ad optimi viri gloriam excogitari posse pręstantiùs. A vigilantissimo quippe Pontifice, & Religionis asserendæ multò maximè studiosissimo administrationem, permagni momenti meritò habitam, ei solùm delatum iri omnes reputabant, cujus certissimis experimentis integritatem, fidem, prudentiam comperisset. Nec verò aut sua sanctissimũ Pontificem opinio, aut reliquos expectatio, quam de sua virtute eximiam commoverat, falsos habuit. Tam incor-

corruptè ſiquidem ſanctèque graviſſimis difficultatibus implicatum munus obiit, tot laborum impendiis, tantaque animi contentione operi inſtabat, ut à ſummis Pontificibus, & ab eo Eccleſiæ Senatorum Sodalitio, quorum eſt de Fidei cauſis cognitio atque judicium, ſingularem vigilantiæ, dexteritatis, atque prudentiæ laudem reportaverit. At fortaſſe quęſitis interdum animi laxamentis curarum aſpera interpungebat. Quin ea erat indefeſſæ diligentiæ aſſiduitas, ut ſolam laboris mutationem inſtar refectionis acciperet. Quemadmodum etenim cęleſtes orbes ſine ullo aut laboris ſenſu, aut tædio laſſitudinis, ſuos curſus conficiunt, eadem ratione mentes, quibus expreſſior ſpecies, & propinquior cum Cælo quaſi cognatio obtigit, non modò non defatigari ſe rerum agendarum mole, ſed refici potiùs repararique ſentiunt. Sunt qui ſibi perſuadeant, corporis venuſtatem nativis quibuſdam nævulis commendari. Quin eas ultro maculas adſciſcunt, pulliſque genas floſculis artificiosè dehoneſtant. Nimirum vel ipſius pulchritudinis faſtidio laboramus; &, poſtquam omnia inficiendis vultibus ornamenta conſumpſimus, ſordes in pretio eſſe cœperunt. Longè ſecus, quàm ad ſtultiſſimum hoc vul-

vulgi examen, ſæculique judicium, Religionis forma æſtimanda eſt. Nulla in candidiſſimo ejus vultu exilis eſt macula; ejuſque firmiſſimi ſanguinis flos omnis ſuccuſque vel minima decoloratione corrumpitur. Quò diligentiùs eſt proſpiciendum, ne in tam pura alvearia degeneres noxiique crabrones per incuriam admittãtur;utque excultiſſimus Eccleſię ager non ab exitioſis dumtaxat cicutis, ſed ab inerti etiam filice repurgetur. Mira ſanè Dianæ, quæ Epheſi colebatur, fuiſſe facies traditur: utpote quę Templum ſubeuntibus vehementer triſtari, recedentibus ſuaviſsimè arridere videretur. Præpoſterâ id conversâque operâ factum putem; Sculptoriſque artem fortaſſe, haud quaquam tamen, quod ad hoc attinet, religionem laudaverim. Moratioris inventi fuiſſet, ad Templa accedentes, explicata fronte, lętoque excipere aſpectu; tum adverſus eos, qui è ſacris Ædibus ad profana loca diſcederent, triſtitiam omnem, atque adeo indignationem exerere. Eas commodè laudes Dominicus temperavit & miſcuit. Omnes officiorum intimęque admiſsionis aditus illis explicabat, qui ſe ab erroribus vitiiſque ad meliorem frugem reciperent. Eos quanta maximè poterat benevolentia pro-

prosequi, facilitate complecti, hortamentis erigere, sustentare consiliis, ad innocentiam divinamque amicitiam constanter retinendam incendere. Tametsi verò nihil eidem molestius objici posset, quàm duriùs in quempiam animadvertendi necessitas, non idcirco ignorabat, quod sapienter est à Cicerone dictum, ita probandam esse mansuetudinem atque clementiam, ut adhibeatur Reipublicę causâ severitas, sine qua Civitas administrari non potest.

Sed tanti viri glorię cumulum adjecit, qui illum sacri Palatii Apostolici Magistrum pronunciavit Innocentius XI. Pontifex Maximus, tum acerrimus cultor, tum egregius æstimator veræ virtutis. Ad eum honorem tanta omnium Ordinum approbatione & lætitia est evectus, quantam excitare potuit debuitque magnum dignitatis ornamentum, attributum magnæ sapientiæ pietatique. Confestim egregiæ illæ animi dotes eluxere, amplioremque à conspicuæ dignitatis accessione ad innotescendum nactę campum, singularem illi à morum facilitate & modestia benevolentiam, à spectatissimę virtutis atque sapientiæ documentis admirationem conciliarunt. Quantum verò Innocentius ipse laudatissimi Viri consiliis tribueret, quantique ejus doctrinā in ipsa morum mo-

moderatione conſpectiorem faceret, teſtabatur vox publica Civitatis, nihil addubitantis Optimum Pontificem ſæpius de Dominico in Eccleſię Senatorum numerum referendo conſilium ſuſcepiſſe.

Beatis eſſe liceret literis, ſi qui illarum ſacris perdiu ſunt operati, eaſdem procul ab omni ambitione, & arrogantia modeſtè ipſi haberent, ſincerè aliis traderent. Fato certè fit iniquiſsimo, ut præcipuum hoc humanæ vitæ præſidium lumenquè animos inſolenter efferat, eamque progignat ſermonis intolerantiam, quam Tullius ſuperbiloquentiam nominavit. Id ut oſtendam latiùs, non veterum monumentis, non recentis literaturæ exemplis quidquam eſt opus. Quantum Dominicus ab ea ingeniorum peſte abhorruerit, vobis tacitè cogitantibus qualibet noſtra prædicatione diſertiùs referet ſummi Viri imago, veſtris altè inſidens mentibus. Hæret, opinor, omnium animis manſuetiſſimi Vir ingenii; hæret moderatio illa, præclaræ indolis nuncia, honeſti conſilii parens, maximorum operum procreatrix. Subjiciat vobis recens recordatio vultum illum decenter compoſitum, frontem illam, gratiſſimi ſedem pudoris, geminas illas oculorum faces ad modeſtiam præ-

lucen-

lucentes. Quid quod blandè appellando mitissimo omnes alloquio demulcebat? Quid quod Censoris & Judicis integritatem benefica voluntate condiebat? Quid quod gravissimis curis districtus nullas se adeuntibus obtendebat excusationes? Quid quod, si qua in vulgandis ingeniorum monumentis expungenda vel castiganda duceret, explanari sibi quæ minùs probaret, dubitationes eximi, atque ubi nova affulgeret lux veritatis, alieno judicio acquiescere non erubescebat? Habebat hoc doctissimus Senex cum Catone commune, utne gravaretur à quolibet fieri doctior. Quantâvis tot annorum spatio collectâ doctrinâ, docilitatem, rem in senectute difficilem, retinebat. Dolendum persane est, eam laudem vel juniorum plurimos non intelligere, paucissimos æmulari. Ineptissimum mihi semper est visum vulgi judicium, quo palam jactant, erubescendum esse senibus quidquam addiscere. Ut enim pecuniarum, sic sapientiæ, opulentissimi quique avidiores sunt. Tum quò quisque est doctior, eò plura cognitu dignissima sibi deesse percipit. Eos porro minimè omnium inopiam fateri pudet, quos constat esse ditissimos. Optandum esset, ut tam illustribus exemplis adolescentes illi profice-

ficerent, qui judicio ſuo ſtatim ſapiunt, hymnoſque Diis littoralibus occinunt, tanquam emenſo feliciter oceano doctrinarum, quando rudes eorum lembunculi cum vadoſo adhuc mari ſabuloque luctantur.

Lectiſſimus hic virtutum comitatus Senem præſtantiſſimum ad mortalitatis finem perduxit. Excipient anni conſequentes Viri memoriam; vigebitque rerum geſtarum gloria, donec in terris erunt cultores abſolutiſſimæ eruditionis, & honeſtatis. Poſſem hic prolixè, ut moris eſt, Familiæ veſtræ, Patres orbitatem deplorare, mœſtiſſimæ Urbis ſqualorem triſtitiamque depromere: ſed potiùs grata ſunt nobis ex religioſiſſimæ ejus vitæ recordatione petenda ſolatia. Injurioſum fuerit, ex mortalis oneroſæque hujus ſarcinæ anguſtiis emiſſum conqueri eum virum, qui humanas curas animo priùs, quàm corpore exuerat; & multò ante, quàm è vita raperetur, mori didicerat. Nihil certè aliud extremæ decumbentis preces, nihil ardentiſſima vota ſpirabant, præter infeliciſſimæ hujus vitæ tædium, fiduciamque certiſſimam ſempiternæ felicitatis. Hos illi faciebant animos, ſecundùm Numinis clementiam paratiſſimam, multæ piorum operum conſcientiæ, morum innocentia, vitæ

pro-

probitas, rerum divinarum ſtudium, humanarum faſtidium atque contemptus. Hæc ille à curis laborioſiſſimi muneris otia, has ſcilicet animi remiſſiones atque delicias habuit. Nam paupertatis arctiſſimæ ſtudium quid attinet commendare; cum extincti cubiculum perveſtigantes domeſtici nihil prorſus aſſervatæ pecuniæ, nihil ſepoſiti xenioli, nihil demum ſupellectilis paulò elegantioris invenerint? Diſceſſit è vita, quemadmodum ex incenſa domo magnanimus Biàs, ſecum fortunas omnes evehens ſuas: hoc eodem felicior, quòd ille ex patria in exilium, Dominicus ab exilio in patriam ingentes animi veraſque opes aſportavit. Quapropter parcite, Patres ampliſſimi, integerrimi Sodalis veſtri felicitati, ut ex ejus vitæ curſu licet conjicere, veſtris iniquiores eſſe lacrimis, quas nemo libentiùs, quam ipſe, quem ademptum lugetis, ſi poſſet, abſtergeret. Non humaniter ſolùm & moderatè, ſed jucundiſſimo animi ſenſu, extrema hæc illi ſunt perſolvenda pietatis officia. Vos verò hujuſmodi virorum, excellenti doctrina atque pietate illuſtrium, proventu ſemper uberrimo pergite de republica, de optimis artibus, de orbe univerſo mereri, ut facitis, præclariſsimè.

FINIS.